

IHS


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
23 C
39

Leonis imp. de re
apparatu





Jo. Chechi pravam esse latinam interpretationem, ejusq; homini, ut est hæretici, imposturas et dolos indicat, et asseverat P. Ant. Possevinus Soc. J. in sua Bibl. Selecta L. V. C. 7. p. 218.

# LEONIS IMPERATORIS DE BELLICO APPARATU LIBER, E GRAECO IN Latinum conuersus,

*IOANN. CHECO CANTAbrigiensi Interp.*

Accessit libellus MODESTI de vocabulis rei Militaris ad Tacitum Augustum.





BASILEAE,

Typis CONRADI VVALDKIRCH.
Ære LAZARI ZETZNERI.

CIↃ IↃ XCV.

# ILLVSTRISS. AC POTENTISS. REGI HENRICO OCTAVO, ANGLIAE, Franciæ Hyberniæq́; Regi, Fidei defensori, ac secundùm CHRISTVM Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernicæ supremo capiti, Ioannes Checus Cantabrigiensis.





VM omnia nunc bello ardeant, tantiq́; rerum motus sint quanti maximi esse possunt, prudēter ac scitè faciunt, Rex potentissime, qui cùm iustas bellandi causas habeant, & ancipitē belli casum variosq́; rerum euētus esse sciant, omnem apparatum belli in promptu habent, ac ad militarem laudem, quam vsu & multarum rerum notitia compararūt, veterum omni nobilitate clarorum virorum consilia factaq́; memorabilia adiungunt. Nam cùm duo sint, quæ in omni re tractanda multùm valent, scientia atque vsus, vtrunq; per se præclarum ac laudabile, sed nescio tamen quomodo si con-

iungantur, nihil egregiũ aut perfectum absit: sin separẽtur, nihil omni laude cumulatum atq; expletum continent. Nisi enim qua de causa quidq; suscipiatur, & ad quem finẽ conferri debeat intelligatur, nisi partes rei bellicæ omnes pertractatæ animo ac dimẽsæ fuerint (si non fortuitus aliquis casus potius quàm militaris prudentia iuuet) ad eam victoriæ laudem ad quam Imperator contendit, peruenire non potest. Sin scientia vndiq; compleatur, & vniuersa rerum disciplina quasi circumfusus, rerum singularum varietatem vsu minus tritam habeat, in rebus agendis rudis omnino atque hospes erit, & quibus niti, aut à quibus recedere debeat, magnopere laborabit. Etenim ex vniuersa totius quasi generis notione efflorescat oportet actio, quæ certum in finem intuetur, à quo si scienter actio instituitur, minus aberrabit.

Sed cùm tua Maiestas ita in vtroq; elaborauerit, vt in singulis solis hæsisse videaris, tantumq́; ingenio, scientia, vsu præstes, vt noua quotidie permulta excogites, antiquæ disciplinæ formam teneas, quid ad præsentem vsum satis sit, intelligas, idoneum putaui hunc librum ad Maiest. tuam transferre, vt in medijs occupationibus tuis, cùm multa grauiora se-

ra soleant res minores sed necessarias tamen repellere, non quasi grauis magister seuerius pręscribat, sed quasi fidelis consiliarius facilius admoneat, quid gerendũ sit, & quemadmodum facillimè vnum sub aspectum omnia collocãda sint. Magna enim imperatoria laus est: sed tamen ex grauibus difficilibusq; negotijs constituitur, quæ omnes in partes animo excubare debet ad omnes opportunitates rerum persequendas, & bellicas offensiones repellendas.

Cùm verò cæteri, qui de re bellica aliquid memorię prodiderũt, singuli in singulis diligenter elaborarunt, hic autem liber vniuersam summam omnis apparatus bellici, prudentissimis consilijs & docendi quadam via clarissima, complexus sit, haud abs re præsenti, & officio meo alienum facio, qui Regis ad Regem, prudentissimi ad prudentissimum, & omni consilio disciplinaq; regia florentissimũ, scripta mittam, & ea vt in nomine tuo appareant procurem. Nam & continet hic liber propter antiquitatem, summam dignitatem: propter studium, maximarum rerum cognitionem: propter peritiam, omnia consilia molitionesq; belli: quæ quanquam rerum flexu ac commutatione in aliam longè formam versa sint, per-

multa tamen memorabilia ſunt, quę ad omnes vſus belli, & omnes quaſi tẽpeſtiuitates rerũ agendarũ, adhiberi poſſunt. Etenim cùm LEONIS huius tempore, quem Quintũ fuiſſe arbitror, quia Baſilio Macedone patre fuit, vt ipſe ſæpe hoc in libro cõmemorat, multa Saracenorũ impetu, quorum vis permagna tum fuerat, perculſa proſtrataq; bello delerẽtur: ad eorum ferociã comprimendam, ad diſciplinã imperatoriam melius conſtituẽdam, ad CHRISTI religionem, quam hic profitebatur, aduerſus Saracenos defendendam, hunc librum conſcripſerat, & quæcunq; ingenio, ſcientia, vſu colligere potuerat, ea conquiſitè ac ſciẽter ita tradidit, vt neq; ad cognoſcendum obſcuritas, neq; ad conandum multitudo ac varietas conſiliorum retardaret.

In quo transferendo, tantò maior meus labor fuit, quantò magis verbis barbaris quibuſdam & non ſatis græcis, ſed vt temporibus illis ferebatur, quotidiano in vſu ac diſciplina militari peruagatis vtebatur: quæ ideo mutare nolui, quia neſciebam vtrúmne hoc tempore & hac diſciplina belli, etiam adhuc in conſuetudine ſermonis hærerent, ac in diſciplinæ ſuæ quaſi poſſeſſione conſiſterent.

Quæcunque autem vel ſcientiæ compre-

prehenſione, vel vſu rerum continentur, & vel ex antiquis ſcriptoribus ſtudio & induſtria colligi, vel multorum negotiorum ſuſceptione, ac variarum rerum pertractatione conquiri, vel ingenio ac perſpicientia probari potuerant, prudentia ac conſilio ſatis breui in hunc librum incluſit, vt in perſpicuitate rerum tractandarum orationis ornamenta deponere, & ad bellum quoduis ſuſcipiendum ſatis callidè ac ſcienter inſtruere voluiſſe videatur, & in rebus gerendis lumen maximũ ſapientis & futura animo anticipantis, nõ diſerti aut bene atq; ornatè loquentis, eſſe demonſtraret.

Itaq; Maieſtas tua in hoc libro legendo, cùm tantum prudentia & conſilio valeas, vt ſis cum omnibus maioribus tuis comparandus, & vſu rerum ita ad omnia paratus, vt nihil improuiſum, aut necopinatum accidere poſſit, quanquam nihil fortaſſe noui cognoſcere, ſed ea quæ ſcis iterum recognoſcere poteris, permagnã tamen voluptatem percipies, ſi in hunc librum quaſi ſignum aliquod aut imaginem ſcientiæ tuæ intuearis, quæ in animo tuo incluſa, & hoc libro contenta, partibus ac locis diuerſa, genere ipſo ac notione eſt eadem.

Et cùm grauis huius belli quod nunc

Reipublicæ causa suscipitur, vniuersam curam ac solicitudinem sustineas, singularum partium singuli sub dominatum tuum subiecti, aliquam procurationem debent suscipere, & siue opibus, siue ingenio, siue industria, seu alia quauis ratione poterunt, aliquid in commune conferre.

Ego autem cùm ad græca cognoscenda totum me tradiderim, & in ijs studijs nõ sine aliquo, vt mihi videor, fructu verser, in quib. Maiestas tua me esse voluit, debui ex ijs fontib. aliquid haurire, quod & à meo studio non procul abesset, & ad Maiestatis tuæ gratiam dimanare posset. Et cùm initio Græcorum lingua latissimè patêret, ac ijsdem solùm finibus coërceretur, quibus orbis terrarum continebatur, quod in multorum hominum manus peruenire, & multorum cognitioni iudicioq; subijciẽdum fuerat, id Græcorum literis mandabatur: postea autem inscitia grassante, ac rerum ignoratione quotidie magis ac magis ingrauescente, effectum iam est, vt Latina, quæ dignitate dicendi ac vbertate eloquentię longè inferior est, vsu iam hominum ac studio latius fundatur, & quæ res Gręcorum libris ac literis propter sapientiam ac eloquentiam continebantur, eæ nunc ad hominum

minum cognitionem in alias linguas labore ac industria studiosorum transfundantur..

Hoc autem ideo lubentius feci in hoc meo quasi proprio studiorum curriculo, quòd hæ turbulentæ communium temporum asperitates videntur tum armis tuis reprimendæ, tum prudentia ac moderatione tua leniendæ: & hæc studia per te excitata, ac in omnes oras ditionis tuæ diffusa, ad te iterum quasi ad caput, cum aliqua vtilitatis specie fluant, & labor meus ad Maiestatis tuæ obseruantiam, sicuti re ac verbo debet, totus conferatur.

Itaq; cũ Maiestas tua in rebus pacatis ac bellicis, scientiæ ac peritiæ omnis generis præsidijs instructa sit, hic verò liber diligentissimè conscriptus omnium consiliorum factorumq; imperatoriorũ quasi fontes teneat, effectiones mõstret, exitus prouideat, & quid in quoq; sit optimum, & quid ad agendum sit vtilissimũ stendat, minimè mihi committendum itaui, quem Maiestas tua, in hoc loco, hac professione græcæ linguæ, quasi in quo domicilio scientiæ cognitionisq; llocauit, vt hic liber ijs temporibus in ioratione hominum iaceret, & Maietis tuæ iudicium non subiret: vt meus or in grauissimorum hominum scri-

ptis positus, Maiest. tuæ approbationem habeat, illustriorum virorum monuméta literis mandata, fructus studiosis rei bellicæ afferant. Maiestas tua horum disciplinam à tuo consilio non dissentientem complectatur, & in similitudinem scientiæ intuens, fructus vberrimos prudentiꝗ cognitionisq́; tuæ percipias.

Dominum IESVM precor vt in hoc negotio & cæteris omnibus rebus tum suscipiendis tum conficiendis, initia rerum præclara ac laudabilia, progressiones secundas ac prosperas, exitus felices atque optatos semper habeas. Cantabrigiæ, quinto Aprilis, anno à CHRISTO nato, millesimo quingentesimo quadragesimoquarto.

*TABVLA CAPITVM quæ hoc libro tractantur.*

# LEO PACIFICVS IN CHRISTO IMPERATOR, FIDELIS, PIVS, SEMPER AVGVSTVS, CAESAR.

NEQVE regium satellitium nostrũ & potentia, neq; potentiæ nostræ dignitas & amplitudo, neq; amplitudinis nostræ splendor atque fructus, neque quicquam ex ijs quæ in hominibus expetẽda & honorata sunt, Maiestatem nostram perinde oblectat, vt eorũ qui sub dominatum nostrum subiecti sunt, pax atq; tranquillitas, & Reipublicæ nostræ firma constitutio, atq; ad optimum rerum statum traductio: nihilq; contrà est quod nostrã mentem de salute regni cogitantem ita vexet & solicitet, ac eorum qui nostro imperio obedientes sunt perturbatio, & rerum meliorum, vel propter negligentiam amissio, vel propter imperitiam labefactatio. Si enim vnius alicuius viri, cuius nos procurationem prouisionemq; suscepimus, progressio ad melius incredibilem nobis voluptatem affert, & ad deteriorem partem applicatio, permagnum nobis dolorem apportat, quid nunc efficere debemus tanta hominum & tam frequenti ac penè infinita

multitudine sub nostram prouidentiam
dùm Deum statim subiecta, quorum cu-
prouisionemq́; nocturnis vigilijs & diur
sollicitudine nō deponimus, vt ab omni mo
& offensione liberi conseruentur, & o-
rerum affluentia lætitiaq́; expleantur?
si cætera quæ ad rempublicam pace &
lio gubernandam spectant, non rectè ad-
strantur, haud magnum inde detrimen-
oriri, non graues rerum perturbationes
tationes effici videmus: disciplina autē
ari iacente, tam miseras rerum offensio-
c lamentabiles conuersiones Romani ac-
unt, quantas quotidiana rerum experi-
ante oculos nostros conspectumq́; propo
Ac homines quidem qui ratione & Dei
imagine insigniti sunt, pacē amplecti,
aq́; se dilectione prosequi oportuit, neq;
s cruentas & conseleratas contra ge-
um & miseros mortales armare. Quo-
autem ab initio parricida diabolus, ge-
nostri hōstis, peccato potens, sua ipsorum
ra homines expugnare cogitat, pernecef-
m est vt homines illius machinationibus
mines adhibitis occurrant, neq; seipsos
ationibus bellum inferentibus tradant,
ilitaris disciplinæ scientia salutem sibi
ant, & se ab hostium incursionib. tutos
ruent, & illis inferant, quæ pati illos di
est, vt omni nefariorum hominum im-

*probitate deleta, & sua ipsorum salute comparata, pax ab omnibus diligatur atque suscipiatur.*

*Quandiu enim Romanis in bello ordinis conseruatio fuit, tandiu & diuino præsidio imperium non destituebatur. Et cum ordinis conseruatione iunctus optimatum labor, splēdorem victoriæ maiorem adhibebat: nunc verò cùm & acierum instruendarum ratio & imperatoria ars longo iam tempore neglecta iaceant; vt ne addam quòd in altam obliuionem penitus venerint, ne ipso quidem Imperatore ea quæ in promptu sunt addiscente, magnas & varias perturbationes videmus inuectas esse. Nam cùm hæc ars quæ multorum bonorum & magnorum parens atq; effectrix fuit, quib. antiqua Romanorum Respublica floruit, semel collapsa de gradu cecidit, diuinam quoq; beneuolentiam abÿsse, & consuetam apud eos militum victoriam è manib. excidisse videmus. Paulatim enim relanguescente militari disciplina atq; industria, omnis ille vigor animi atq; alacritas optimatum consenuit. Itaq; interdum quidem segnitiem atq; ignauiam accusamus militum, interdum inscitiam atq; timiditatē ducum culpamus, interdum antiquarū acierum rationem ad cognoscendum perobscuram negligimus. Cùm igitur hanc vtilissimam scientiam recuperare, & è Republica nostra quasi eie-*

*euocare studeamus, in tantis occupatio-
nostris haud prætermisimus, quin om-
borem nobis ipsis assumeremus, vt vti-
ide communis omnibus adferretur.
m cùm in antiquis & recentioribus rei
ris atq; imperatoriæ scriptoribus dili-
versati simus, atq; aliis historiis solutæ
ne res gestas memoriæ mandantibus di
r nauauerimus operam, & si quid præ-
n manibus hominum est ad bellicos v-
neum, & quæcunque mediocri rerum
c nostra ætate, ad statum rerum nostra-
liquid momenti adferre videbantur, ea
nibus actionibus suscipiendis, rebusque
gerendis examinauimus, & quod in
imum fuit quasi delibauimus: & quæ
estam quandam atque euidentem vti-
n adferebant, quàm paucissimis potui
exus sum, & promulgatæ legis vice tra
um magis ornamenta quàm verborum
uens, vt compendiariam quandam rei-
ris disciplinam nostris Præfectis, atq;
ibus cura rerum bellicarum commissa,
æscribens, facile perspiciant factu esse
volunt & cupiunt, ad maiora atq; al-
rdine quodam & gradu procedere.
ua omni rerum tractatione, dicendi e-
m, & verborum ornatum nullum ad-
nus: rerum pondus, dicendi perspicuita-
ationis simplicitatē, quantum fieri po-*

*uerat sequuti sumus. Vnde & verba rei militaris interdum græca adiũximus, interdum latinis vocabulis vsi sumus, & alias quoque dictiones vsu iam militari receptas non repudiauimus, vt omnes manifestè ac perspicuè ista cognoscerent.*

*Tractationes rerum minimè necessarias, quæcunq; aut superuacaneæ, aut inutiles fuerant, omnes detraximus, vt compendiariam quãdam & expeditam rerum bellicarum expeditionumq; rationem non verbo solùm vtilem, sed re ipsa factisq; maiorum approbatã, & ad nostra vsq; tempora, quanquam rebus gestis minimè, trãsmissam, quibus Romanum olim florebat imperium, oratione tamen ac literis, quib. res obliuione penè deletæ reuocantur & recuperantur, & ad pristinam iterum dignitatem restituuntur, mandatam habeant, qui ad disciplinam militarem atq; imperatoriam cognoscendam se totos tradunt. Quòd si aliquid boni oratione nostra effectum est, gratiæ habendæ sunt omnium bonorum largitori* CHRISTO, *vniuersitatis Regi, Deoq; nostro, qui & orationi nostræ affundit gratiam. Sin diuersa ab istis & cura cogitationeq; sua meliora quis inuenerit, gratias etiã ille omnis bonitatis autori Deo agat; nobis venia propter studium conatumq; nostrum tribuenda est.*

*Omnino autem qui se ad imperium administrãdum vel magna vel aliqua ex parte dedi-*

*unt, in ſcientia militari atq; imperatoria genter exerceant. Neq; enim, quemad- m imperiti quidam exiſtimarunt, multi- e ac numero hominum, ſed benignitate uore Dei bella conficiuntur, & rei mili- imperatoriæq; ſcientia, in quæ potius n in importunæ multitudinis coitionem ndum eſt: altera enim res tum vtilitatem incolumitatem, ijs qui ea bene vtuntur, rtat, altera verò perturbationem & ſum- multos infructuoſos adfert.*

*uemadmodum enim nauem onerariam aria traijcere non poſſumus ſine arte gu- atoria, ſic neq; bella noſtra honeſtè ſuſci- neq; ſuſcepta conficere poſſumus ſine ar- litari atque imperatoria, qua non ſolùm lem & parem numero multitudinem ho propitio Deo ſuperamus, ſed etiam longè ò maiorem hoſtium numerum inſtructio copias fundimus & diſſipamus. Quaſi r legi alicui militari promulgatæ, ſic huic ationi vos parêre atq; obedire volumus e imperamus.*

*rimùm igitur nobis deſcribendum eſt, nam res militaris, quidq; Imperator ſit: de, qualem eſſe oportet exercitum, & quē- odum conſilium capiēdum ſit; tum in præ- s omnis generis & milites diuidere exer- n; reliquumq; apparatum omnem mili- adhibere, & vniuſcuiuſq; militis arma-*

*turam. Ad hæc, quemadmodum ante vera certamina Imperator singulos exercere debet. Deinceps, quemadmodum singulis rebus propositæ multæ in exercitu legantur. Tum de itinere verba facienda sunt, tum in sua tum in hostili terra. Postea de impedimentis & castris, de apparatu & præceptis, quidq; faciendum ante diem belli sit, quidq; ipso die agendum. De obsidione etiam, atq; de ijs quæ post bellum gerenda sunt. Tum nec opinatas ex insidijs tum nostras tum hostium incursiones, & diuersimodè apud varias gentes acies instructas. De nauali pugna pauca adiungemus. Post hæc omnia, sententiarum quarundam militarium atque imperatoriarum descriptionem separatim colligemus, quas in suis locis propter breuitatem & expeditam rationem capitum non posuimus. His rebus instructus qui sapientia & celeritate ingenij Imperator abundat, longè perfectior, vti spero, absolutiorq; erit. Ac primò hinc incipiendum esse putamus.*



DE RE

# DE RE MILITARI ET IMperatore. Caput I.



Es militaris est scientia bellicorum motuum. Motus autem belli duplices sunt: alij enim terra, alij mari fiunt.

2 Res militaris est ars quędam imperatoria acierum instruendarum, & armorũ & motuum militarium.

3 Ars imperatoria est in quib. exercitatio vel studium aut industria ponitur, cũ στρατηγημάτων, id est, consiliorum imperatoriorum & trophæorum collectione.

4 Propositum rei militari est, vt opportunis commoditatibus & rebus gestis vincat hostes.

5 Vtilitas rei militaris est, ordinata quadam ac disposita acie cum hostibus confligere.

6 Finis rei militaris est, quoad eius fieri potest, sine vlla offensione exercitum instruere.

7 Bellicus apparatus perfectus duplex est, alter quidem terra terrestris, alter verò mari naualis. De re nauali postea dicemus. Hominum autem qui ad bellum cõfluunt multitudo, altera quidé præliãs est seu bellatrix, altera verò ad vsus belli

veniens imbellis. Et bellatores milites sunt qui aduersus hostes instruuntur. Imbelles reliqui sunt, Medici, administri, mercatores, & alij qui ad necessarios vsus consequuntur. Pugnantis partis seu bellatricis alia est pedestris, alia equestris. Pedestris est, quæ humi consistit. Equestris est, quæ equis vehitur, & quæ olim curribus falcatis & elephantis turres hominibus refertas gestantibus vehebatur, de quibus nunc propter huiusmodi apparatuum inutilitatem & tarditatem nulla mentio fiet.

8 Re militari leuiter ad hunc modum descripta, oportet etiam cõstituere, quinam Imperator sit, & quisnam huius rei susceptione dignus sit.

9 Imperator est qui vniuerso exercitui præest, & maximam secundùm Regem habet potestatem.

10 Imperator est vniuersæ militiæ præcipuus dux à Rege designatus, qui alios sub se duces partim à Rege missos suffragio suo approbat, partim sua ipsius autoritate designat.

11 Proprium Imperatoris munus est, subiectos suos prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia, anteire.

12 Vniuersæ prouinciæ quam accepit, tum militaris tum priuatæ tum publi-

cæ administrationem in se recipere.
13 Exercitum inordinatum, idonea atque opportuna in acie collocare.
14 Propositum hoc est Imperatori, vt multitudinē suam amplificet, & sine omni offensione, ab hostibus reliquisq; iniurijs, à perturbationibus & seditionibus solutos conseruet, hostes omnibus modis vel bello vel incursionibus inopinatis labefactet, & quæ inferre hostibus molitur, circunspiciat ne eadem ab illis patiatur.
15 Finis Imperatoris est, maximam gloriam habere, in omnibus Dei & Regis beneuolentiam consequi: sin quod idoneum officioq; suo coniunctum est neglexerit, vt è contrario illi accidat. Ita igitur Imperatoris imagine informata, quasi coloribus quibusdam exprimendæ dotes eius sunt, demonstrandumque est quis & qualis esse debeat, qui in hoc dignitatis gradu collocandus sit.

## *Qualem esse oporteat Imperatorem. Caput II.*

MAndamus igitur vt Imperator sit corpore continens, victu temperans, sobrius, vigilans, frugi, & in rebus necessarijs minimè profusus, in laborio-

Es negotijs assiduus, circũspectus & prudens, pecuniæ despiciens, famæ commẽdatione honestus, neq; iuuenis, neq; ætate ingrauescens, habilis ad dicendum ex tempore in media frequentia hominum, liberorũ, si ita vsus ferat, parens, nõ ad mercaturam faciendam, aut ad huiusmodi lucrum intentus, non parui animi & minutas res expetens, denique generoso tum animo tũ corpore, quoad eius fieri potest, & in omnibus magnanimo.

2 Continentem esse Imperatorem oportet, ne voluptatibus nimis diffluens, rerum necessariarum curam ac prouisionem abijciat.

3 Temperantem verò, quoniam tale imperium suscepturus est. Intemperantes enim & libidinosæ animi appetitiones, siquando vires cœperint, pròpter quiduis agendi licentiam in omnes cupiditates infrenatè ruunt.

4 Sobrium autem & vigilantem, vt in maximo acierum apparatu animo quasi excubet. Nocte enim quando animus maximè requiescit, Imperatoris sępe sententia versãdo mutatur, sæpe cogitando confirmatur.

5 Frugi, & in vsibus necessarijs non nimis profusum. Sumptuosi enim & ingẽtes famulatus, tempus vt inaniter transiga-

gatur faciunt, & quod ad necessarias expeditionum expensas conferendum fuit, ad delicias luxumque præfectorum absumunt.

6 Industrium autem, vt ne primus militum otium sectetur, sed exemplũ potius fiat ad labores alacriter suscipiendos.

7 Circunspectum & prudentem. Solertem enim oportet esse Imperatorem, in omnes partes cogitationẽ animi quadam celeritate versantem: perturbationes enim inopinatæ cùm incidunt, confestim præsentis auxilij excogitationem requirunt.

8 Pecuniæ despicientem. Etenim pecuniæ despicientia in Imperatore cernitur, quando abstinenter & magnificè rebus gerendis præest, & honores bellicos virtutis mercedem suis proponit. Multi enim & animo forti sunt, & corpore aduersus hostes robusto: sed quando in aurum intuentur, mentem occæcatam cupiditate atq; obscuratam habent: grauia enim arma sunt hæ pecuniarum cupiditates, & ad oppugnandos atq; euertẽdos homines efficacia.

9 Neque iuuenem neq; ętate ingrauescentem: quoniam iuuenis propter ætatem, incõstantem & flexibilẽ habet mentem: Senex autem imbecillo est corpore,

& nullus ex illis penè firmus existit: & ille quidem vt ne propter inconsideratam temeritatem quasi audax labatur, hic verò ne propter naturalem imbecillitatem corporis, quæ facto opus sunt prętermittere cogatur. Optima igitur electio est constantis & mediæ ætatis, non iuuenis, aut ætatis ingrauescentis.

10 Etenim vis & robur est in eo qui nōdum consenuit, prudentia autem & stabilitas in eo qui ex adolescentia excessit. Nanque qui robur corporis sine prudentia animi admirantur, vel contrà animam prudentem absq; corporis viribus extollunt, ad nullum bonum exitum perueniunt. Prudentia enim si viribus deficiatur, nihil pulchrum, vires verò prudentia destitutæ, nihil prorsus efficiunt.

11 Charum subiectis suis Imperatorem, longè nobiliorem scimus esse, hocq; magnopere subiectis adiumento est. Quem homines diligūt, illi imperanti facilè obtemperant, dicenti & paciscenti non resistunt, periclitanti succurrunt. Tanta res est amor, vt pro eo quem charū quis habet, vitam profundat.

12 Pater liberorum anteponendus est effœto atq; orbo. Neque verò orbum liberis repudiamus, si bonus sit. Nam qui liberos habet Imperator, si infantes fuerint,

rint,

rint, longè ardentior propter liberorum amorem ad studium rerum agendarum suscipiendum, erit. Si verò constantiam & matura ætate fuerint, consiliarios, & laboris imperatorij participes & fideles administri, res pro communi salute susceptas promouebunt. Itaque hac de causa pater orbo videtur anteponendus.

13 Ad dicendum & perorandum habilem: puto enim hoc maximè exercitum adiuuare. Nam instructum ad pugnam exercitum Imperator cohortatione sua ad periculorum mortisque contemptionem, & ad rerum honestarum suauiumq; studium adducet. Tuba enim in auribus hominum personans, non tantum animos nostros ad motus bellicos excitat, quantum oratio sapientia quadam adiuncta ad virtutem vocat, & paratos ad dimicandum auditores facit, & ad pericula suscipienda animos impellit.

14 Si verò vlla in exercitu contingat offensio, aliqua tum illos cohortatio permulcet, & longè vtilior est Imperatoris oratio, ad res afflictas exercitus leuandas, quàm medici vulnera curantes: illi enim saucios solos die àc tempore tādem fortasse sanant; hic autem confestim fessos ac lassatos alacriores facit, & ad omnem animi magnitudinem præstantiamq; satis robustos.

15 Nobilem & celebrem virum diximus esse oportere, quia semper hæsitat animo & excruciatur vulgus, cùm obscuris viris atque ignobilibus subiectum est. Nemo enim lubens patitur eum Imperatorem eligi, quem deteriorem seipso putat.

16 Mihi pernecessarium sanè videtur, vt Imperator designatus si has quas nuper commemoraui virtutes imperatorias habeat, nobilis statim sit: talis enim virtus obscurum diu hominē manere non sinit.

17 Dicimus autem ne diuitem quidem, nisi virtutes imperatorias habeat, pecuniarū causa imperatorem designari debere: nec pauperem contrà si bonus fuerit, paupertatis ac tenuitatis causa repellendum. Nec verò diuitem diuitiarū gratia repellimus, sed si virtutes Imperatore dignas nō habeat: nec pauperem quia pauper est designamus, sed quia fortem atq; imperatorium habeat animum. Neutrū propter fortunam repudiamus, sed vtrosque propter mores asciscimus.

18 Diues bonus tantum præstat generoso pauperi, quantum aurea atq; argentea arma æreis ferreisq; antecedunt: hæc enim in bello æquè efficacia sunt, illa verò præter efficacitatem etiam ornamentum afferunt.

19 Pauperem generosum voco, qui munerum abstinens est, & minimè quæstuosus: quæstuosum enim virum, ne si ditissimus quidem fuerit, vtile est Imperatorem eligi.

20 Imò verò neque parcum aliquem aut sordidum, ad rem faciendam venalitium, aut aliquid eius generis molientem: necesse est enim tales perparcos esse, & ad auiditatem pecuniarum inexplebiles, & ad cumulandas opes nimium intentos, & ab honestis actionibus longè abhorrentes.

21 Si claris & nobilibus maioribus fuerit, aliquam hoc commendationem habeat: hanc tamen generis nobilitatem, si absit, non admodũ requirenius, neq; tantummodo propter hãc vnam, si aliàs laudabiliter artem imperatoriam teneat, dignus hoc munere habeatur.

22 Quemadmodum enim animantia omnia ex moribus illorum & actionibus exquirimus vtrum generosa an inertia sint, sic & hominũ nobilitatẽ non ex maiorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus & rebus gestis æstimare oportet. Iniquum enim atq; indignum est, humiles atq; obscuros quosq; milites sua ipsorũ virtute ac militari laude, & non maiorum splendore, emergere, Imperatores autem

propter maiorum suorum præclara facta eligi, cùm ipsi imperiti atq; inertes sint.
23 Neq; verò illos, qui cùm obscuro loco nati sunt, tamen sua ipsorum facta nimis venditant. Nam si virtuti suæ maiorum quoq; splendor accedat, fortunatus Imperator est: sin virtus abfuerit, ne hæc quidem illum clarum efficient.
24 Fortassis autem existimare quis posset, meliores futuros Imperatores qui nulla maiorum suorum laude commendantur. Nam qui maiorũ factis clari sunt, & illorum gloria illustres fiunt, sæpe negligẽtiores & omissiores sunt: qui autem nihil à maioribus acceperunt, isti maiorũ obscuritatem sua virtute illustrant, & ad res alacrius suscipiendas omni animi cõtentione impelluntur. Et quemadmodũ qui haud magna cum re sunt, ad vitæ cultum & affluentiam rerum comparandam diligentius contendunt, sic quibus nulla à maioribus gloria relicta est, ijdem sua ipsorum virtute strenui esse laborant.
25 Iis de causis eligatur Imperator bonus, nobilis, diues: non repellatur autem pauper si cum virtute sit, quanquam claris ac illustribus maioribus ortus non sit.
26 Ad summam autem dicere oportet, Imperatorem, si fieri potest, corpore gratioso, robusto & laborioso, mente autem
celeri

celeri ac strenua, honoris expetentem, promptum, periculorum despicientem, & rerum diuinarum verę́q; religionis sanctissimum cultorem esse debere.
27 In voluptatibus corporis temperantem, consilio & laude vera in rebus honestis suscipiendis inexplebilem atque insatiabilem.
28 Ad perspiciendum in dubijs rebus quid maximè opus facto sit, acrem & solertem.
29 Ex ijs quæ in promptu sunt, ad res abstrusas conijciendas felicem.
30 Ad iacentes militum animos oratione excitandos, & in spem bonam adducendos habilem, & ad periculum suscipiendum paratos efficientem.
31 In instruendo & armando & ornando exercitu peritum.
32 Eorum quæ constituta & decreta sunt, constantissimum custodem.
33 In sermone certum, ne ab astutis & disertis viris, quæ illi ad deteriorem partem applicabunt, capiatur.
34 In pecunia consumenda ad conquirendas sibi voluptates, parcissimum ac frugalissimum: ad consensionem vicinorum, & præcipuè in sumptibus pro republica faciendis, largum & liberalem.
35 Is igitur Imperator designatus, qua-

lem oratio noſtra deſcripſit, natura, moribus & inſtitutis vbi iam pręeſt, benignus, affabilis, promptus, faciliſq; ſit.

36 Nec verò tam clemens & mitis ſit vt contemnatur, ne propter negligentiam exercitũ & omnem ſub imperio ſuo ſubiectam corrumpat plebem, nec contrà propter timorem ab amore ſui alienet.

37 Reliqua quæcunq; oportet eum in quotidianis & ſingulis rerum adminiſtrationib. ſuſcipere, nunc propter longitudinem in anguſtum contraximus, ſed ea in ipſo quaſi ſalo orationis noſtræ de re militari habitæ, ſeorſim quantum poſſumus repetemus.

38 Talis ſi ſit & permaneat qui à regno noſtro Imperator eligitur, ſperamus eum Dei bonitatem, noſtram beneuolentiã, & reipublicę ſalutem, & magnam apud omnes exiſtimationem, & vitę tranquillitatẽ in CHRISTO Deo ſolo vniuerſitatis perẽni & ſempiterno Regi comparaturum. Itaq; ad hũc modum Imperatoris forma deſcripta, agè quaſi ante oculos regni noſtri conſpectumq; ponamus, & hac ſequenti noſtra exhortatione, quæ in militari atq; imperatoria arte maximè neceſſaria idoneaq; ſunt, explicemus.

39 Principiò igitur ante omnia, ô Imperator, tibi hanc cohortationem & pręceptum

ceptum trado, vt pietatem & iustitiam colas,& assiduè ante oculos Deum habeas,illum reuerearis, omnique corde & mente tua illum diligas,& secundum illũ nos, & illius imperata facias, & illius beneuolentiam inde acquiras, vt (audacter sanè videbor loqui) ingrauescentibus temporibus, quasi amico Deo omnium dominatore fretus, cum fiducia illum depreceris,& spem salutis in illo ponens amicè ab illo quiduis contendas. Fidelissimus est enim qui dixit: Voluntatem timentium eum faciet,preces eorum audiet,& seruabit eos.

40 Certò enim scias, absq; diuina beneuolentia,quanquam magna prudentia esse videaris, te quod cupis minimè præstiturum,neq; hostes quãuis imbelles superaturum:quia omnia diuina prouidentia continentur,& quę minutissima sunt, illius tamen prouidentia administrãtur.

41 Quemadmodum enim gubernator nauis,quanquam valde peritus sit,si venti minus secundi fuerint, artem habet penè inanem, sin ventum nactus fuerit & artem suam quoq; adiunxerit, celeritatem cursus feliciter duplicat: sic Imperator bonus,si beneuolentiam Dei collegerit, copias suas munusq; imperatoriũ cũ vigilãtia industriaq; bene administrabit,&

commendatum sibi exercitum sine offensione reget,& magnitudine sapientię suæ hostes oppugnabit. Dei enim prouidentia omnia partim ad vtilitatem docebit, partim ad bonum exitum traducet. Hic igitur fide religiosus,in rebus agendis iustus,quasi fundamento bono & stabili iacto,reliqua bona extruet.

42 Mitis ac sedatus fias aduersus eos qui te côueniunt:efferati enim mores odiosi atq; intolerabiles fiunt.

43 In vitæ, vestitusq́; cultu simplex fias & frugalis: luxus enim necessarios sumptus ad nihilum exhaurit.

44 Vigilanter & industriè, non negligenter aut solutè negotia suscipe: diligẽtia enim & assiduitas res asperas & molestas facilè conficit: qui autem in re agenda negligens est,ab ipsa re neglectus erit.

45 In rebus magnis & necessarijs nihil facias sine consilio: sin serius consilium ceperis, quod consultum est sine vlla dilatione aut hæsitatione perficias, quemadmodum in ægritudinibus medici faciunt.

46 Subiectis tuis te in omnibus æquum exhibeas; nihil vlla cum iniquitate aut studio partium, quam personarum acceptionem vocant, facias,sed secundùm iustitię naturã ex ęquo & bono omnia pertractes.

47 Nec dissolutus aut negligens sis in vindicādis flagitijs à negligentia aut improbitate ortis, vt modestus videaris esse: neq; enim modestiæ est in rebus potissimum necessarijs, improbitati aut nequitię aliquid concedere, neq; contrà ad seueritatis ostentationem temerariè & indicta causa supplicium de aliquo sumere: illud enim contemptum atq; contumaciam parit, hoc autem iustum odium & fructus eo dignos. Perbona autem res est timor cum iustitia: & post crimē propositum iusta animaduersio, quę nō supplicium, sed castigatio quædam à sapientibus nominatur.
48 In primis ad bellum armatus, hoc cogita, bellum esse iustum quod susceperis, nec violentas aut iniustas manus hostibus afferas, nisi priores illi propter consuetam illorum impietatem expeditionem facientes; nostram ditionem inuadant.
49 Nam cùm nos semper pacem, tum erga subiectos, tum erga externos, propter CHRISTVM vniuersitatis Regem & Deum complectamur, si gentes suis inclusæ finibus contentæ sint, nullamq; iniuriam inferre studeant, tum tu manus ab illis abstineas, neque sanguine intestino aut externo terram polluas: quę enim tu

illis exprobraueris, quòd hominib. innocentibus & nullã iniuriã inferētibus manus attulerint, eadē illa ipsi, si nihil aduersum regni nostri subiectos patrarint, sed pacati fuerint, tibi inferenti bellũ exprobrabunt. Par est enim nos, qui cum omnibus hominibus quantum in nobis est pacem facimus, cum ijs qui tranquilli esse volunt, & nullam iniuriam nobis nec subiectis nostris inferre conantur (quia pacē cęteris rebus omnib. anteponimus) pacem constituere, & à bello abstinere.

50 Sin immodesti hostes & iniuriarum autores fuerint, nostram populantes terram, tum cùm iusta defendēdi causa nobis proponitur, & iniustum bellum ab aduersarijs infertur, confidenter & animosè suscipe bellum contra eos huius iniustitiæ autores, & violentas manus subiectis nostris afferentes: bonum tum habe animum, & adiutorem iustum habebis Deũ, & pro fratribus tuis pericula subiens omnino splendidam victoriam habebis. Itaque hoc dignitatem tuam imperatoriam precamur, vt diligenter consideres causam belli, & ex iustis initijs bellum moueto, & contra nefarios homines aciem tuam teq; armato.

51 Omnino igitur in omnibus teipsum subiectis tuis meliorem demonstrare cō-

tendas, & fide in Deum, pietate ac reliquis virtutibus eximium. Nam ad principum virorum cogitationes solet se subiectorum multitudo accommodare, vt iuxta vetus prouerbium, non cerui leonibus imperent, sed leones ceruis.

52 Hæc tibi Imperator paucis vno sub aspectu regij nostri instituti pręcepta cõclusimus, quæ hæc nostra breuitatis institutio fusius dilatari non patitur. Licebit autem inquirenti tibi ex ijs quæ hoc nostro libro clausulis tractantur, & præterea ex ijs quæ diffusè à nobis in libro qui de comparatione factorum militarium inter se, conscriptus est, maiorem & vberiorem vtilitatem percipere.

53 In has res diligenter incûmbe, & conare ista amplificare, & ad res gestas tuas adiungere, vt cùm animi promptitudine præceptorum magnitudinem superaueris, primùm Deum optimum maximum, deinde meipsum quoque laudatorem rerum gestarum habeas, & mercedem laboribus tuis dignam ab vtroque reportes.

## *De diuisione exercitus, & constituendis ducibus. Caput III.*

PRæcipimus igitur dignitati tuæ, vt pro veteri more consuetudineque tua milites & duces ex ijs eligas, quos ad belli vsum maximè idoneos iudicaueris. Ex omni ditione sub tuum imperium subiecta milites eliges neq; adolescentes neq; senes, sed fortes, robustos, alacres, diuites, vt in expedito & procinctu cum sint, id est, in castris & in ipso cœtu ac multitudine exercitus, quod hodie Fossatum appellamus, ad rem priuatam suam & domesticam quasi militiam occupatos domi habeant alios agricolas, & vt armaturam & cætera quæ militi necessaria sunt, subministrare possint: & vt liberas interea ædes ab omni alia publica seruitute habeant. Nostrum enim commilitonem (nam sic eum vocamus qui pro nostro regno & Romano hoc Imperio strenuum se in bello gesserit) nolumus vt vllæ cuiusque modi seruituti nisi tributo publico subijciatur.

2 Diuidatur igitur vniuersus sub imperio tuo exercitus in tagmata siue banda, id est, cohortes diuersas: & subdiuidatur in decurias: eæ quoq; tribuantur in contubernia: hæc ex quinq; viris conficiuntur,

tur, atq; etiam interdum ex decem viris, quæ decuria apellatur, sicque contubernium interdum vnum decuria est, interdum duo.

3 Itaq; exercitus in cohortes & decurias vniuersus describatur. Præficiantur illis duces per banda, & drungos, & turmas, & per alias præfecturas, qui accommodatissimi sunt, & qui fideles sunt & beneuoli nostro huic Romano imperio, & qui fortes esse existimantur. Nihil prohibet autem quin & locupletes copiosiq; homines, & qui genere atque animi virtute nobiles sunt, duces fiant. Ingenuitatem enim habeant, vt in ipso quasi articulo temporis imperata faciant: abundãtiam autem diuitiarum, vt possint militibus è copijs suis interdum aliquid subministrare. Etenim paruus hic sumptus si à ducibus & præfectis erga milites sibi subiectos fiant, beneuolos reddit & amicos illis, & in periculosis discriminibus ad vitam profundendam paratos facit.

4 Alij igitur ex ijs qui honoratissimi sunt, assessores Imperatoris sint: alij autem adsint, & participes vniuersi consilij, socijq; sæpe, si vsus ita ferat, etiam secretissimi & occultissimi consilij sint. Interdum enim fortasse etiã qui optimus est, cogitat secum quid vtile sit, & hoc quod

ipse inuenerit, sine vlla dubitatione optimum esse putat. Sententia enim & cōsilium vniuscuiusq; si singulare & vnius solum hominis fuerit, in suum ipsius inuentum solum intuetur: aliorum autem hominum consilium si adiungatur, examinatur hoc consilium & quale sit elucescit, & semel à plurib. approbatum, nihil lubricū aut anceps cōtinere creditur.

5 Par est igitur quemuis Imperatorem, (vt rursum tibi eisdem de rebus pręcipiamus) neq; ita animo incertó esse, vt ipse sibijpsi omnino diffidat, neq; contrà ita præfracto & singulari animo, vt nolit ad honesta aliorum consilia attendere. Necesse est enim vel vt omnium consilijs si se det, & nihil sibi ipse tribuat, sæpenumero in crebras offensiones incidat: vel si alijs nullo modo nitatur, sed sibi soli fidat, turpiter sæpe prolabatur. Restat iam vt primò tibi omnium præfectorum simpliciter nomina recenseamus, deinde notas quasdam illorum quàm paucissimis exponamus.

6 Caput igitur omnium Imperator erit: post illum Merarchę, id est, turmarum præfecti: tum Drungarij, id est, tribuni: deinde comites, id est, bandorum siue cohortium præfecti: post hos centuriones: deinde decani, id est, qui præfecti contuber-

tuberniorum sunt: deinde quintani, quartani, qui quoniam vltimi in contubernio seu ordine iuxta altitudinem vel latitudinem instructæ aciei collocantur, οὐραγοὶ, id est, caudani siue vltimani nominantur. Extrema enim totius contubernij pars quasi cauda corpori, sic ea reliquo contubernio adhæret. Atq; ista præfectorum sunt nomina. Sunt autem & alij in vnaquaq; cohorte siue bando prępecti separati, vt bandophori, tubicines siue buccinatores, administri, despotati, mandatores & cohortatores, qui oratione sua milites ad prælium excitent, quos ante nos recentiores artis militaris periti, latinè cantatores vocabant: & alij præterea ad vsus rerum emergentes quotidie separati, vt scribones: hæc enim vocabula hoc tempore in hac Reipublicæ forma vsitata & recepta sunt, antiquis vocabulis, quemadmodum suo loco dicemus, penè abrogatis.

7 Imperator igitur appellatur, qui vniuerso exercitui præest, & administrator illius quasiq; præsul est. Princeps autem, qui proximum huic locum tenet. Existimo certè maiores, eos quos nunc Principes appellamus, Imperatores olim nominasse: quia princeps vniuscuiusq; ditionis suæ quasi Imperator est, & hac de causa

princeps Imperator appellatur. Imperator autem probè dicitur qui à Rege, vt omnium caput ſit, mittitur, ſub ſe principes habens: nunc autem nullus princeps in bello cognoſcitur, niſi qui Merarchæ, id eſt, præfecti turmæ ſiue Turmarchæ vocantur.

8 Turmarcha turmæ præfectus, qui olim merarcha vocabatur: is μέρυς, id eſt, turmæ ſiue partis imperio præponitur.

9 Drungarius ſiue tribunus dicitur, qui vni μοίρᾳ, id eſt, particulæ ſiue cohorti milliariæ præeſt. μέρος, id eſt, pars, quæ etiam turma dicitur, ex tribus μοίραις, id eſt, particulis ſiue drungis conficitur. μοίρα autem, id eſt, particula ſiue drungus, eſt ex cohortibus, ſiue ex ijs hominibus qui comites eſſe dicuntur, conflata multitudo.

10 Comes eſt vnius cohortis ſiue bandi præfectus.

11 Centurio eſt qui centum viris præeſt, qui ſub comitem ſubiectus eſt.

12 Decanus eſt qui præeſt decem militibus: quemadmodum Quintanus, qui quinq;, qui in medio contubernio conſtituitur.

13 Quartanus eſt, qui & cuſtos dicitur, οὐραγὸς, id eſt, caudanus ſiue vltimanus, & extremus in contubernio ſtat. Copio-

ſior

ſior enim præfectorum diuiſio plures in exercitu ſtrenuos viros indicat, & plures milites alacres tum ad facilè obtemperandũ, tum ad imperata facienda præſtat.
14 Et bandophorus, id eſt, ſignifer, qui ſignum cohortis ſiue bandi geſtat.
15 Deſpotati appellabantur olim qui nunc ſcribones vel chirurgi dicuntur: hi aciem ſequentes ſauciatos in prælio curant, quemadmodum Medici, & ad ſanitatem reuocant.
16 Mandatores ſunt, qui mãdata à principib. ad milites facilè perferunt.
17 Lochagus, id eſt, manipuli pręfectus, dicitur primus in contubernio iuxta altitudinem, qui & Primanus & præſtes dicitur.
18 Secundanus eſt, qui ſecundus eſt in cõtubernio, qui & ſubſtes & aſtes dicitur.
19 Caudanus eſt qui in extrema parte contubernij, id eſt, in cauda ordinis ſtat.
20 Curſores dicuntur vel propugnatores, qui aciem antecedunt in belli conflictationibus, & qui in fugientes hoſtes omni dimicatione inuadunt, quos vocant proclaſtas.
21 Defenſores ſiue ſubſidiarij ſunt qui iſtos ſequuntur, non tamen excurrunt & ordinem & ſtationem ſuam deſerunt, ſed ſimul & confertim ambulant ad vindi-

eandam ſortem curſorum, ſi fortè illos, quod vſu venire plerunq; ſolet, in fugam verti contingat, quos iurè quis vindices vocaret.

22 Cenſores, qui foſſata ſiue caſtra metantur & conſtituunt, quos menſuratores ſiue metatores vocant.

23 Anticenſores ſiue metatores alios quoſdam antiqui Romani appellabant, quos nunc vt arbitror cum menſuratoribus cõfundẽtes, nullo certo nomine appellant. Iſti in caſtris mouendis anteeũt, & idoneas vias locaq; exquirũt ad caſtra ponẽda, eaq; qualia eſſe debẽt aduertũt.

24 Scultatores, id eſt, ſpeculatores, qui res hoſtium exquirunt & narrant.

25 Πλαγιοφύλακες, id eſt, latrones ſiue laterani, qui ad laterum cuſtodiam primę aciei conſtituebantur.

26 Corniſtites ſunt qui ad cornua hoſtium circundanda conſtituuntur.

27 Inſidiæ nominantur, qui in occultis locis aduerſus hoſtium aciem parantur.

28 Tergiſtites ſunt, qui vt poſt aciem vniuerſam eant conſtituuntur.

29 Tuldum, ſiue impedimenta, eſt apparatus vniuerſus & vtenſilia militum, vt pueri & iumenta, reliquaq; animãtia, vel ſi quod aliud inſtrumentum ad vſum caſtrenſem adiungitur.

30 Expeditio quoq; exercitus in quasdam pręfecturas diuiditur:vt,in cohortis comitem,& in domesticæ ditionis comitem,& omnino in reliquos consuetæ expeditionis administros, quos recensere superuacaneum est.
31 Protonotarius ditionis & Chartularius, atq; etiam prætor siue ditionis suæ iudex, alter vrbanarum rerum administrationi qui præest, alter qui exercitus descriptioni & inquisitioni pręficitur. Hic controuersias eorum qui in ius veniunt, dissoluit. Istos quanquam Imperatori in multis obedire oportet, tamen quod ad priuatarum suarum administrationum rationes spectat, ad regnum nostrũ pertinere volumus, vt ex eo ciuilium & bellicarum rerum administrationem & constitutionem tutius cognoscamus.
32 Vniuersum igitur exercitum in diuersa tagmina,id est, cohortes Imperator diuides,& illis principes pręficies,prudentes,fortes,atq; accommodatos illis.
33 Ex vnaquaque cohorte siue bando centuriones elige, prudentes, fortes atque strenuos: deinde decanos,eosq́; strenuos atq; inuictos,& si id fieri potest,sagittarum iaciendarũ peritos. Post decanos,quintanos quartanosq́;:tũ cõtubernij custodes, id est, eos qui ad altitudinẽ

contubernij custodiendã constituti sunt, qui ex singulis contubernijs duo sunt, vt ex vnoquoque contubernio viri delecti quinq; sint. Eos qui in contubernijs restant sic instrue, vt senes adolescentesq; simul pro ratione & numero exercitus tui inter se coniungas.

34 Vbi istos ad hunc modum constitueris, lectos ac nobiles qui restant variè distribuito, pro vniuscuiusq; dignitate seu vi & natura, optimos primo loco, reliquos permistè tum extremo tum medio in loco.

35 Itaq; mandatores vigilantes & prudentes eligere oportet, & bandophoros siue signiferos, pręterea duos ex vnaquaque cohorte. Talis autem delectus in cõtubernijs adhibendus est.

36 Vbi pueri nulli sunt, ibi quemadmodum par est ex debilioribus militibus ad impedimenta custodienda delectum virum vnum, & alium quendam prudẽtem militem ac idoneum signum aliquod gestantem designabis, quem tuldum, id est, samaria siue impedimenta sequentur.

37 Contubernia omnia describes, & quæ in dextra cohortis, quæq; & quot in læua fiant assignabis.

38 Contubernia in quinq; vel decem, aut in quatuor vel octo vel sedecim distin-

ſtingues, quemadmodũ intellexeris pro tempore hoc vtile eſſe, vt conſuetudine quadam coniuncti contubernales pro ſe mutuò in prælio dimicent, & ad pericula ſuſcipienda magis excitentur. Habeat quoq; aliquem communé inter ſe vſum vnumquodque contubernium, quemadmodum antea explanauimus.

39 Prudenter autem feceris ſi amicos cum amicis, fratres cum fratribus, idq; in ipſa prælij acie potiſſimum coniunxeris: quando enim periclitanti proximus admodum amicus eſt, neceſſe eſt pro eo quem charum habeat animoſius atque alacrius dimicet. Alter autem quia non reddere gratiam viro pro ſe tam fortiter propugnanti erubeſcit, hunc benemeritum deſerere & tergiuerſari ſine rubore non poteſt.

40 Contubernia autem, vt iam prædiximus, propterea à prouectioribus ſimul & iunioribus militibus fieri oportet, vt ne prouectiores per ſeipſos collocati debiles atq; imbecilles ſint, iuniores autem nempe rerum imperiti, perturbatiores reperiantur. Illi enim quanquam ſenes ſunt, tamen experiẽtes ſunt: iuuenes aũt quanquam fortes ſunt, tamen inſcientes atq; imperiti ſunt.

41 Cohortibus igitur ſiue bandis ad hũc

modum distributis, præfecti illis qui comites vocantur eligendi sunt: & vnamquanq; cohortem ex viris trecentis media quadam ratione conficies. Neq; quãuis ingentem habeas exercitum, plus quadringẽtis viris in cohorte collocabis: neque minus ducentis, quantuluscunq; fuerit exercitus.

42 Istas cohortes cõgregabis in cohortes milliarias quas drungos, chiliarchias siue μοίρας, id est, particulas, vocabant antiqui, quorũ præfectos tribunos siue chiliarchos & drungarios vocabant.

43 Has igitur cohortes milliarias siue drungos conferes iu partes siue turmas, & præerunt illis ex electione nostra regia merarchæ, quos nunc turmarchas, id est, turmarum præfectos appellamus. Illos prudẽtes, modestos, strenuos esse oportet, experientes, & literarum scientes, atque eum in primis qui mediæ turmæ præest, quem principem appellamus, qui vbi opus est Imperatoris locum in omnibus supplebit.

44 Has igitur tres turmas constituere oportet, quarum singulis præerunt turmarchæ, vnusquisque turmæ suæ præfectus, vt sit vniuersa Imperatoris exercitus sui diuisio in tres ęquales partes siue turmas, in dextram, mediam, & sinistrã. Hæc

tria

tria vniuersam aciem continent, quæ sub Imperatoris dominatum subijcitur.

45 Oportet igitur, quemadmodũ prædictum est, neque cohortem siue bandũ comitis plus quadringentis tenere, neque cohortem milliariam siue drungum plus tribus millibus, neq; turmam plus sex millibus.

46 Si verò contingat maiorem numerũ esse exercitus quàm prædictum est, optimum esset extra turmas eum in secunda acie, id est, post primam aciem in subsidijs collocare, vel ad laterum custodiam, ad tergistites, ad insidias, ad obsidiones hostium transferre.

47 Neque igitur turmæ neque drungi, id est, cohortes milliariæ, maiores sint vel fiant quàm prædictum est, vt ne si in aliquem maiorem numerum producantur, minus obedientes imperatis & perturbatiores inueniantur.

48 Atque hoc tibi pernecessarium esse existimo, vt omnia banda siue cohortes nequaquã paria numero inter se facias, ne tum numerabilis exercitus tuus confestim fiat, quæ res maximorum sæpe malorum causa est. Hoc tamen perdiligẽter obseruandũ est, vt ne plures quadringentis, neq; pauciores ducentis in bando siue cohorte collocentur.

49 Quare vnamquanq; cohortem si duas apparere facias, persæpe vbi confligédum cum hoste fuerit, nó inutile ad perterrefaciendos aduersarios erit. Oportet autem ab vnoquoq; bando ad necessarios vsus separari, vt dictum est, mandatores vigilantes, prudétes, acres, vocales, & si fieri possit, multarum linguarum intelligentes.

50 Et buccinatores quoq;, qui quando occasio fert buccinabunt. Samiatores, id est, qui omnes acies ferreas exacuunt. Fabros arcuarios & sagittarios, reliquosque qui ad rerum consuetarum effectionem pertinent.

51 Constitues etiam qui res amissas collecturi, & dominis suis restituturi sint.

52 Quemadmodum enim ad impedimenta equitum gubernanda præfecti cóstituendi sunt, sic ad impedimenta pedestrium eliges quosdam, quibus qui ad caragum pertinent, obedientes sint.

53 Caragus dicitur ex carris & alijs bellicis rebus munitio ad exercitum defendendum.

54 In vnaquaq; turma vnum summum caragi præfectum esse oportet, & signum aliquod quemadmodũ in equis, sic in bobus vnicuiq; ordini priuatũ adhiberi, vt facilè cognosci & aduerti à suis possint.

55 Bene autem pedestris aciei mentionem fecimus. Oportet autem huius diuisionem facere,& in ea præfectos & duces maiores & minores constituere, & illorum quoq; nomina percẽsere, quemadmodum ab antiquis rei militaris peritis accepimus,& quemadmodum recentiores suam ipsorum instruendæ aciei formam & constitutionem nobis reliquerunt.

56 Antiqui enim multitudine hominum ea abundabant qui olim armati,nũc scutati vocantur: quanquam hoc nomen propter magnam rei militaris atq; industriæ bellicæ negligentiam penè ab omnibus ignoretur. Horum igitur scutatorum cohortes ex sedecim contuberniјs faciebant,id est,ex viris ducentis & quinquaginta sex, vnumquodq; contuberniũ virorum sedecim quadrata forma & numero. Inuenitur autem in illis phalanx peditum quater mille nonaginta sex,quã vocant aciem pedestrem, & præfectum illorum Imperatorem.

57 Perfectam autem aciem faciebant ex cohortibus sexaginta quatuor,contuberniјs mille,viginti quatuor,hominum sedecim millibus tercentum octoginta quatuor. Leuis armaturæ autem,vt sagittariorum, iaculatorum, funditorum,

octo millia centum nonaginta duo, vt acies leuis armaturæ dimidia sit aciei scutatorum vel grauis armaturæ. Equitum autem qui cum his instruuntur, & pedestri aciei admiscentur, quater mille nonaginta sex: & istorum præfectus dicebatur Imperator.

58 Et ista quidem ad hunc modum partiebantur. Cohortes scutatorum in fronte pro prima acie contra hostes collocabant, & hanc in quatuor partes siue turmas diuidebant, dextram, sinistram, dextram mediam, sinistram mediam.

59 Leuis armaturæ cohortes quia truces & agiles erant, vel ante omnes collocabant ad persequendos hostes, vel ad latera obliquabant, vel ad tergum primæ aciei constituebant, vel quemadmodum vsus poscebat describebant, de quibus separatim dicemus.

60 Equites in duas turmas siue partes diuidentes, ad latera pedestris aciei collocabant, nempe adiutores & expeditos incursores hostium.

61 Vt igitur ne omnia percensendo nimis curiosus sim, lochon, id est, manipulorũ, & τάξεων, id est, acierum, & eorum qui ijs præsunt nomina, propterea quòd ex vsu militari iam excesserunt, & quia incerta atque incomprehensibilia omnib.

viris

viris militarib. ſunt, & vt ne tempus inaniter conſumamus, prætermittamus, & hæc quæ magis neceſſaria ad vſum ſunt, & ad cognoſcendũ certiora, & magis cõpendiaria, perſequar. Illę enim vt videtur equitum acies atq; peditum, pro ratione multitudinis militum fuerant, cùm tot ſtrenui ac fortes inuenirentur milites.

*62* Nunc verò Imperator cùm multò pauciores ſint milites in exercitu quàm olim fuerant, & non modò æqualem, ſed etiam longè minorem numerum habeant, non facile eſt numerum cohortis neque equitum neque peditum definire, vt ne ſi vel ſuperes numerum ducentorum quinquaginta ſex virorum, otioſi ſint, vel rurſus ſi ad alias cohortes adiungantur, quaſi inordinati milites inutiles exiſtant.

*63* Cohortis tuæ numerum facias pro multitudinis tuæ ratione, & multitudinem virorum præſentium pro virtute & fortitudine militum tuorum collocato. Vnumquodq; autem bandũ ſiue cohors præfectum ſuum comitem habeat ſtrenuum, prudentem, fortem, & manibus conſertis ad præliandum habilem.

64 Contubernia verò ſingula peditum diligenter obſeruare oportet, vt ex ſedecim hominibus fiant ad labores pręlij ſu-

ſcipiendos idoneis. Numerum autem aciei pro ratione exercitus & multitudinis tui facias.

65 Hanc verò aciem ex quotcunq; fuerit cohortibus & contubernijs, in quatuor (vt ſuprà dictum eſt) turmas diuide: in dextram, cui præeſt dexter turmarcha: in læuam, cui læuus turmarcha: & in duas medias turmas, in quibus erit Imperatoris cohors ſiue bandum.

66 Præter integram hanc aciem oportet etiam paucos quoſdam habere ſcutatos & velites in ſubſidijs, qui ducem ſuũ peculiarem habeant abs te etiam deſignatum, vt ſi quando opus fuerit, in extremis oris inſtructæ aciei extra equites ſint, vel inter carros, aut álijs in locis cum ſuis ipſorum ducibus excurrentes opem ferant.

67 Oportet autem ſi minor numerus vigintiquatuor millibus peditum ſit, vniuerſam aciem in tres ſolùm turmas diuidere, & in media Imperatoris bandũ ſiue cohortem collocari oportet, cui cætera banda obediant.

68 Prius autẽ diuides velites in homines vel ſagittandi peritos, vel certè habiles ad diſcendum, ſi qui truces aſpectu & iuniores fuerint, & qui per omnia loca vbi velint ſaltare poſſint. Si enim ſupra vigin-

vigintiquatuor millia fuerint, dimidiam illorum partem eliges: sin pauciores fuerint, tertiam vniuscuiusq; numeri partem assumes, & illos in decurias siue contubernia, vt antè dictum est, diuides, illisq; decanos bonos atq; idoneos præficies, vnumq; etiam omnium ducem Præfectũ sagittariorum nominabis.

69 Reliquarum duarum partium dimidium, octodecim virorum seniorum simul & iuniorum contubernia diuidas, & duos ex ijs octodecim qui debilissimi sunt, seu potius omnes qui supra sedecim sunt, ad carros reliquasq; sarcinas seruandas operam nauare oportet: sedecim autem reliquos in acie consistere, & præesse illis manipulares duces siue decanos oportet strenuos atq; idoneos.

70 Octo verò ex istis sedecim qui meliores sunt, primos & postremos contubernij siue manipuli cõstituere oportet. Nam sedecim virorum contubernium, manipulum antiqui vocauerunt. Constituere autem eos oportet in primo, in secundo, in tertio, in quarto loco, in XVI, in XV, in XIV, in XIII, vt altitudine ad quatuor hominum numerum descripta, firmetur tum frons tum cauda, id est, extremum agmen. Reliqui verò octo imbecilliores in medio collocandi sunt.

71 Istos sedecim nominabis seorsim per primos & secundos, vel per præstites & astites. Duo autem ex illis binomines erunt, & primus quidem vocatur lochagus siue manipularis dux prim⁹, siue protostates: alter autem vocatur decarches & secundus siue astes, & deinceps similiter, vt vniuersa acies ex præstitibus & astitibus instruatur.

72 Vt autem obedire facilius possint, & idoneè inter se viuere, melius est illos in duo solùm contubernia diuidere, vt primi siue præstites sint cum præfecto manipulari, secũdi autem vel astites sint cum decano: ita fiet, vt quanquam in vitæ cultu separentur, in acie tamen adunati isti sedecim, consilio mandatoq; manipularis præfecti obtemperẽt. Hoc modo acies optimè conseruatur, & illi facillimè obedientes erunt.

73 Vtile autem est, si id fieri potest, non solùm secundùm virtutem vel strenuitatem vnumquodq; contubernium scutatorum ordinare, verumetiam iuxta ętatẽ, vt prouectiores ætate si anteponantur, magis parentem atq; obedientem manipulum faciant. Vt verò ne omnia vel ad strenuitatem vel ad ætatem referamus, oportet eos qui alacriores & generosiores sunt, in frõte & cauda, id est, extremo

con-

cótubernio, imbecilliores aũt in medio, quemadmodum prædiximus, collocari.

74 Propterea autem antiqui ex sedecim viris peditibus contubernium in militia designauerunt, quoniam hic numerus tum idoneus est, quẽ transire non oportet, tum in omni militari vsu facilè & nullo negotio diuiditur & secatur vsque ad vnum virum. Atq; hæc quidem de exercitus diuisione & constitutione, & de Ducibus huic præfectis tum maioribus tum minoribus, à nobis dicta sint.

## *Quomodo consilium capiendum sit. Caput IV.*

OMnem actionem consilium anteeat: inconsulta enim rerum tractatio haud satis tuta est. Nam quanquam interdum quis glorietur se, quasi simul & deliberauerit & res suas gesserit, res multas prosperè atq; ex tempore gessisse, tamen perrarò aliquid tale vsu venire fortunatè solet.

2 Propterea in primis præcipimus tibi, vt ante omnes res suscipiendas, maximè aũt bellicas, consilium cum ijs præfectis capias, qui tibi ad hoc idonei videbũtur: cuius generis turmarchæ reliquique sunt. Vbi verò firmitaté aliquam habẽre cõsiliũ videbitur, rẽ ipsam de qua delibe-

rasti omni studio ac diligentia contendas ad exitum perducere, nisi si (quod persæpe solet accidere) aliquid interim aduersum & contrarium consilio contingat. Consilium autem quidnam tandem sit, & quemadmodum consiliũ tutò expedire possis, explanabo.

3 Consilium est deliberatio quædam de re agenda vel non agenda. Si res agenda non sit, statim sistendum tibi est: sin agenda sit, modum agendi vel quomodo, tempus vel quãdo, vbi vel locum, quid vel rem agendam, quem vel personam qui hoc suscepturus & ad exitum perducturus est, propter quid vel caussam cuius gratia res suscipitur, considerare oportet.

4 Qui deliberaturus secũ est, ante omnia suam ipsius mẽtem ab omnibus perturbationibus liberam habeat; maximè autem ab amore vel odio atq; omni alia perturbatione quæ rei de qua deliberatur damnosa esse potest.

5 Deinde non solum quid facile sit eligito, & in hoc incumbito, sed etiam omnia quæ vsu venire possunt, animo prospice: fortassis enim post rem incœptam aliquid se tibi quod in primis conducibile est, offeret, quòd antea prætermisisti.

6 Quòd si tecum ipse non solùm cape-

re consilium, verum etiam alios assumere volueris, teipsum tamen perinde ab omni perturbatione vacuum præbe, ac si solus deliberares. Consultores autem adhibe experientes rerum, prouidos, perspicaces, ærumnarũ ac prosperitatis tuæ socios, ad excogitandum solertes, fideles, qui neq; tibi ad gratiam obtemperabũt, neq; illi qui rei susceptor existit, neq; sibi mutuò, sed qui quod cogitant dicunt, qui simplici animo & incorrupto sunt, nullumq; ex ijs rebus lucrum quærunt, sed eo ipso tempore, quid maximè vtile sit explorant.

7 Sunt enim qui cùm lucrum aliquod aut compendium, aut ad se, aut eos quos charos habent atque diligunt, pertinere posse vident, totam iudicationem rei eò transferunt: & quia pertinaces sunt, vniuersum consilium ab vtilitate communi, ad id quod ipsi volunt deducunt.

8 In rebus occultis & abditis fideles adhibe tibi & temperantes viros & taciturnos, & qui in sua & non aliorum potestate sunt, cùm secretæ res istæ, vt secretiores fiant, minimè ad cognoscendum multitudine indigent.

9 Delibera tardè, nisi aliqua necessitas celeritatem requirit: vbi consulueris, si nullum impedimentũ sit, maturè facito.

10 Tempus & locum, quemadmodum prædictum eſt, rei idoneum elige. Sed de ea referas non ad teipſum ſolùm, ſed etiã ad omnes qui tecum conſilij participes fuerant, & quid facto opus ſit cum multis delibera: quæ verò agere volueris, cũ paucis communica, & vbi optimum ex omnibus conſilium ceperis, apud te ſolũ tene, ne aduerſarijs hoc indicetur, & inſidijs illorum appetare.

11 Res ipſæ diuerſas & plurimas ſæpe afferunt ſententias. fortaſſis auté quæuis res circunſtans omni ex parte manifeſta fiet, ſi ſingulę conſultorum ſententiæ inter deliberandum in vnum conferantur.

12 Omnes autem debent huc ſpectare & conuenire, ad ſaluam atq; illęſam multitudinem conſeruandam, & ad curam prouiſionemq; eius qui eos conuocauit ſuſcipiendam.

13 Finis conſilij ſit tibi, vt cognoſcas in rebus gerendis vbi & quando agendum vel non agendum ſit, & qua de cauſa quicque agendum.

14 In deliberatione tua, & in omnibus ſententijs quæ in deliberationé veniunt, adeſſe hęc duo oportet, POSSE illud fieri, atque vtile eſſe: hæc enim duo ſi non adſint, infirmum conſilium eſſe & temerarium ſtatim deprehenditur, & quaſi an-

si ante oculos illius vitium cernitur.

15 Si enim inutile sit de quo deliberas, non modò non commodaberis, verumetiam læderis. Si verò nō possunt de quibus deliberatum est perfici, inanis hæc consideratio ad temerarium exitū, quòd id fieri nullo modo aut via potest, necessariò pertinet. In primis autem vitare oportet eas offensiones quæ in prompta sunt: vulgus enim hominum solet rerum futurarum cogitationibus seipsos oblectare, offensiones aūt circunstantes prouidere non solent.

16 Vtilissima aūt est in omnes partes animi quasi excubatio, & eorū quę vlla ratione fieri possunt in cōsiderandis rebus pertractatio: ita enim fiet vt neq; teipsum nimis cæcæ temeritati exponas, nec rursus nimia rerū cupiditate illectus, in manifestum aliquod discrimen incidas.

17 Rursus timor absq; vlla audacia à vitio non abest: & qui quosuis temerarios casus formidat, temerè sępe aduersus seipsum multa facit, & quæ ex vsu suo sunt negligit, & ab vtilibus rebus suscipiendis abhorret.

18 Breui igitur, ô Imperator, cùm de consilio capiendo disputauimus, restat vt de reb. bellicis & militaribus actionibus verba faciamus.

## De apparatu armorum. Caput V.

MAndamus dignitati tuę, vt omnem apparatum bellicum ad pedestres & equestres copias spectantem accures, vt integra minimeq; defecta sint, sed ad omnem opportunitatem vsumq; bellicum parata.

2 Hoc autem partim per teipsum, partim per Præfectos tuos tum maiores, tũ minores efficies, ad vniuersi exercitus qui sub ditione tua est, armaturã & præparationem.

3. Arcus cum Corytis suis, sagittas cum cucuris, spathas acutas & famiatas: Scuta, nempe scuta maiora, quæ thurei appellantur, & scuta minora peditum quæ peltæ, id est, cetrę nominantur: & scuta quædam ferro rotundo signata: hastas paruas præterea octo cubitorum. Erant autem Romanis & Macedonibus hastæ sedecim cubitorum longitudine, quas nunc vsus noster non requirit, sed singula iam pro vtentis virib. ac robore arma apta. atq; idonea fiunt. Rhictaria zicuria bidentia, altera ex parte habentia aciem quasi spathæ, altera ex parte quasi hastæ cuspidem, cum thecis ex pellibus, & ba-

& baſtagia femoralia, id eſt, gladios magnos vnam ſolùm aciem habentes.
4 Loricia, id eſt, galeæ vſq; ad iugulum demiſſæ loris & annulis cum thecis coriaceis: & ſi fieri poteſt, omnia ſint catenata: ſin minus, quædam ex illis cornea aliqua materia, vel ſiccatis bubalorum pellibus iunctis: ſuperloricas veſtes, clibania ferrea, vel ex alia quapiam vt dictū eſt materia. Caſſides integras, manicas ocreas ferreas, vel ex alia quapiam materia, propter eos qui non habent collaria catenata ferrea, tecta intus lana, foris lino: neruos & lora à cenduclis, quæ & ipſa ſint galearum vice, ijs qui ferrea cenducla non habent. Fardea induat miles cum armis, ſolenaria cum paruis ſagittis & cucuris ipſis: fundas, ſellopungia magna, pyrecbola, id eſt, ignem iacientia, iſcas, loroſacca, pedila, id eſt, calceos lunatos ferreos cum ipſis carphijs: rhinia, ſuglia, frōtalia, equorum pectoralia ferrea, vel à cenduclis facta, & equorum collaria ſimiliter.
5 Flamūla magna & flamūla parua haſtarum, banda variè tincta, cucina parua, falces magnas, ſecures, phalcia, bipénes, aſcias, tribulas faſcijs quibuſdam aſtrictas, quæ clauis quibuſdam appendātur.
6 Carros leues atque ad omnem ne-

cessarium vsum & commeatum expeditos, ad omnia nempe opera, ad molas manuarias, prionia, orygas, malleos, ptyaria, cophinas, cilicia, & si quid aliud ad fossati seu castrorum externam custodiam & ad ambitum conseruandum leuiori aliqua materia confectum à duce excogitari potest.

7 Alios currus habentes sagittarios, manganica alacatia vtrinq; conuersa, balistarios peritos quos manganarios appellant, cęlatores, fabros ęrarios cum officinis suis: alios currus armamenti plenos, alios currus commeatum ferentes, & alios pręterea superfluos currus quot opus est: iumēta præterea sagmaria, id est, sarcinaria, & equos sagmarios, & alia instrumenta ijs similia quæ fossatum, id est, castra, ad vsum suum requirit.

8 Ad obsidiones, māganica diuersa habere oportet, & scalas ligneas cōtractas, & alias permultas machinationes, quascunq; excogitare possis.

9 Ad fluuios & lacus nauiculas, id est, nauigia parua, vel ex corijs confecta, vel naturæ vi quadam fabricata. Excogitabis etiam & præparabis tentas & ategias, id est, integumenta cum suo ipsorum apparatu, quibus pluuiarum & æstuum vim possis depellere.

Rei

10 Rei naualis præfectum oportet naues parare, partim bellatrices, partim equorum vectrices, partim sarcinarias ad omnia arma bellica, & omnem apparatū nauticum vehendum.

11 Cùm hic apparatus omnis qui superius à me memoratus est, partim abs te ipso, partim ab alijs sub tuo dominatu præfectis suppeditatus & suffectus sit, arma partim ad propulsandos hostes, partim ad præliantium militum defensionē, partim ad aliarum rerum vsum atq; occupationem paranda sunt.

12 Maximè autem armorum bellicorum curam geres, vt splendida & acuta ad hostes perterrefaciendos conseruentur. Hæc omnia diligenter præparabis, vt in prōptu esse possint ad vsum belli ijs qui se pro virtute armant cōtra hostes: & nequaquam illud tempus in quo acies instrui debet, tempus præparandorum armorum facias. Hæc, & si quæ alia à nobis propter obliuionem prætermissa sunt, necessariò debes præparare: si verò aliqd præterea excogitare possis, Deo gratiæ agendæ & solertiæ tuæ sunt.

13 Ante omnia autem Dei timorē, ingenium celere, mentem honestam in omni tempore & loco, in omni re habeas, & ad omnia teipsum paratū esse præcipimus.

14 De armorum igitur apparatu, quantum hucusq; nostra suppetit memoria, tuæ dignitati explicuimus. De pedestri autẽ & mixta acie postea dicemus. Nunc verò quemadmodum vnumquenque separatim virum equestrem in exercitationibus, & omnino in ipso belli tempore, & qualia necessariò tecum ad bellũ asportare oportet, dicemus.

## *De armatura equestrium & peditum. Caput VI.*

Oportet igitur armari milites à suis ipsorum præfectis, & quæ idonea sunt, & ad vsum castrensem accommodata, siue hybernis siue æstiuis parari, vt vnusquisque tum præfectus tum miles, pro virtute ac dotibus suis ęqua proportione habeant, potissimum autem præfecti à Turmarcha incipientes vsq; ad Centurionem & Quartanum. Tu verò in primis, atq; etiam copiæ præterea tuæ, aliquid habeatis præ cæteris eximium.

2 Habere autem eos oportet sigillatim armaturam talem: Zabas integras & talares reuolutas iterum per lora & annulos cum thecis suis: habeant & cassides ferreas splendidas, quæ omnino in vertice habeant tuphia quædam parua. Arcus

cus etiam ſingulorum viribus idoneos, non ſupra vires, ſed potius infra vires vtentium, corytos, id eſt, thecas arcuarias habentes latas, vt opportunè cùm vſus fert educere è corytis arcus poſſint. Habeant etiam chordas ſiue neruos multos in pungijs ſuis. Cucurra ſagittarum & integumentorum idonea, quæ capiant triginta ſiue quadraginta ſagittas. In toxozonijs, id eſt, in zonis arcuarijs, rhinia zuglia. Habeant autem contaria, id eſt, haſtas equeſtres longas, in medio habentes loca quædam cum flamûlis: habeant præterea ſpathas Romano more ab humeris illorum pendentes, & parameria, id eſt, gladios ſibi accinctos.

3 Quicunq; autem adoleſcentes ſagittarum iaciendarum imperiti ſunt, habeāt contaria, id eſt, haſtas cum ſcutis integris. Non inutile autem erit ſi chiromanica & chiropſelia, id eſt, manicas ferreas habeant. Habeant etiam & parua tuphia in opiſthelinis equorum, & flamûla parua ſupra zabas in humeris. Quanto enim decentior in armatura ſua miles eſt, tanto maior illi alacritas, & hoſtibus formido vehementior aderit.

4 Si fieri poteſt, habeant clibania, quos thoraces vocant, eosq́; illuſtres ac ſplendidos: & ποδοψέλια & πλευριστῆρας, quæ o-

ʌcreæ nominantur,& ſuperloricas,ſi quando opus illis,induant.
5 Omnes autem adoleſcentiores Romanos vſq; ad quadraginta annorum ætatem, quanquam parum vel nihil ſciant ſagittarum iaciendarum,coges arcum & pharetrã geſtare: poſtquã enim ars ſagittaria contempta ſpretaq; eſſe cœpit,permultæ Romanis offenſiones accedebãt.
6 Habeas etiam haſtas duas, vt altera deficiente,altera ſtatim vti poſſis. Imperitioribus arcus imbecilliores dato:quanquam enim ſagittas iacere neſciunt,tempore tamen diſcere conabuntur,quod in primis conducibile eſt.
7 Si id commodè fieri poteſt,rhictaria, id eſt, iacula habeant duo, vt opportunè iacula in hoſtes conijciant. Equitem igitur ad hunc modum armabis.
8 Equi autem, ſed præfectorum potiſſimum reliquorumq; lectorum virorum, pectoralia & frontalia vel ferrea, vel ex cenduclis facta habeant, vel quæ ex neruis efficiuntur,& pectora illorum & colla,ſi fieri poſſit,& ventres perparua quędam apocreſmata eorum quę feletra ſellarum dicuntur: à magnis enim ſæpe periculis equos liberant, atque adeo ipſos equites. Hæc in primis habeant illi qui cæteros in bello antecunt.
Et

9 Et sellæ habeant episelia hirsuta & magna. Fræna autem illorum idonea sint & fortia.
10 Ad sellas duas ferreas scalas & lorosocum & pedilum & sellopũgium, vt quo tẽpore aduocatur aliquis, sufficere sumptum duorum aut trium dierum possit: & tuphia ad opisthelinas quatuor, & verticalia, equi tuphium, & similiter ὑπογεύσιον, id est, summentum.
11 Omnino autem equitem habere oportet tzicurem ancipitem, vnam aciem instar cuspidis hastę longam & acutam in sella cum theca coriacea pendentem.
12 Vestes militum siue lineæ, siue laneæ, siue ex alia materia, latas esse oportet, vt ad equitandum non impediantur, & tegant præterea genua illorum, & magis decori fiant.
13 Oportet verò cenducla habere lata admodum, quæ habeant etiam manicia lata, vt cùm armantur illi & gestant zabas atq; arcus, si, quemadmodũ sæpe fit, contingat pluuiam esse aut aërem humidiorem, currum suum cõleruent & non impediantur, siue arcubus siue scutis vti voluerint. Sunt verò etiam cenducla in explorationib. & vigilijs pernecessaria: non apparent. n. zabæ hostibus, ipsis cenduclis tectæ. Resistunt etiã impetui sagittarum.

14 Mandamus etiam vt in vnoquoque contubernio & falces & secures habeant ad necessarios vsus.
15 Cohortium autem præfectos siue milites qui potétiores sunt cogere oportet pueros sibi conquirere siue seruos siue liberos: & diligenter in tempore rogæ & adnomij, id est, descriptionis nominũ, pueri illorum & currus describantur & conquirantur, vt ne contemptis ijs adolescentibus administris, ipso belli tempore ex ipsis militibus ad tuldum, id est, impedimenta conseruanda cogantur separare, & pauciores fiant qui in ipso prçlio dimicent.
16 Si verò quidam, quemadmodum verisimile est, non adeò locupletes sunt vt sibi sufficere pueros administros possint, necesse est quatuor aut quinq; militibus tenuioribus vnũ aliquem administrum, qui illis operam det, tribuere.
17 Pari modo pro sagmarijs, id est, sarcinis facere oportet, quorum magnus est vsus propter zabas & tentas illorum.
18 Mandamus vt capita vniuscuiusque bandi, id est, cohortis, vnius coloris sint: & flamũla vniuscuiusq; turmæ & vniuscuiusq; drungi, id est, cohortis milliariæ, vnius quoq; coloris sint.
19 Vt verò vnaquæq; cohors suam ipsius

ſius cohortem, id eſt, bandum, facile agnoſcat, oportet alia quædam priuata ſigna capitibus adiungere, vt ex illis tum per turmas, tum per drungos, tum per banda cognoſci poſſint.

20 Omnia autem Turmarcharum ſigna tum diuerſa eſſe oportet, tum manifeſta, vt longo interuallo cognoſcere ſuos poſſint.

21 Mandamus etiam vt currus quidam ſuperflui adhibeantur propter baſtagen, id eſt, vecturam, & maximè arcuum ſagittarumq;, vt ijs qui armis ijs deſtituuntur, inde ſuffici arma poſſint.

22 Præter bubulas zabarum thecas, habere oportet milites ex pellibus thecas quaſdam expeditas, vt vel belli tempore, vel excurſionum, poſt opiſthocurbia in lumbis equorum, & ſi (quod abſit) contingat ſæpenumero in fugam conuerti,

*Hic deeſt folium in græco.*

& inimicis inutilia ſunt. Biruttas autẽ quæ rhictaria, id eſt, tela dicuntur, eos habere oportet qui rei ſagittarię imperiti ſunt, atq; etiam eos qui arcubus deficiuntur. Habeant etiam ſcutula parua rotunda, fundibula & tzicuria prædictis formis ſimilia, quę etiam thecis coriaceis geſtentur. Veſtes peditum omnium ſint condæ, id eſt, attonſæ vſq; ad genua illo-

rum,& si id fieri potest,superlorica habeant. Calcei illorum fastigia antè acuminata ne habeant. Necessarium verò est paucis quibusdam clauulis firmari calceos, quos carphia appellant: ad varios enim vsus illud vtile est,& in primis ad itinera facienda.Et cæsaries illorum condę, id est, attonsæ fiant, aut etiam permittere vt nullo modo crinem habeant,fortasse non inutile est.

27 Et pedites quidem ad hunc modum apparabis & armis teges. Ad vsum illorum & conseruationem carros habebis expeditos,agiles & firmos, vnicuiq; decuriæ siue contubernio vnum, & non plures, vt ne multi in illis occupati otiētur. Habeat aũt vnusquisq; carrus molam manuariam, securim, asciam, prionim, id est, serram, orugas duas, malleũ, ptyaria siue vannos duos, cophinam ciliciam,phalciã,tzicuria,barducia,matzuchia,fortassis etiam(nam horum vsus militibus interdum est)tribulas paruis quibusdam fascijs ligatas,& clauo ferreo appendentes,vt facile adduci possint: alios currus sagittarios qui sagittas ferant, & manganica siue balistas quæ alacatia nominantur,orbiculata,& manganarios,cęlatores, fabros ærarios, & istis peculiarem aliquem præfectum eligere.

Alios

28 Alios carros qui vniuscuiusq; armamentum ferant pro numero militum, alios carros decem vel viginti qui ferant pistum, paxemadium, id est, panem biscoctum, sagittas & arcus complures.

29 Ex equis vel iumentis sagmatarijs, id est, sarcinarijs, si fieri potest, in vnoquoq; cōtubernio vnum, sin minus, duobus contubernijs vnū, vt si occasio quæuis fiat separandorum peditum à curribus & anticipandi loci, vehāt secum octo vel decem dierum idoneum commmeatum, donec eò currus, qui tardius procedere solent, postea ad eos perueniant.

30 Non inutile verò mihi videtur paucis antiquæ armaturæ formam, quod ad equites & pedites pertinet, memorare, quemadmodum Aelianus & reliqui rei militaris scriptores memoriæ prodiderunt. Apud antiquos enim equestrem aciem duabus diuersis armaturis muniebant: alterā autem cataphractum, id est, loricatū appellabant, alteram aūt non cataphractum, id est, non loricatū dicebant.

31 Armabant autem cataphractū equitem vndiq; tū ipsum tum equum etiam loricijs, id est, galeis: clibancis, id est, thoracibus: paramerijs, id est, machæris vel ferreis, vel ex cornib. intextis. Equos muniebant lateralibus & frontalibus: id est,

latera & capita & ceruices equorum, thoracibus & galeis & alia certa materia tegebant.

32 Ex ijs omnibus qui vel cataphracti vel non cataphracti sunt, alij quidem habebant contaria, id est, hastas quas nunc menaula vocant, quæ olim antiqui lonchas nominabant, qui cataphracti manus cum hoste conserebant. alij autem eminus iaculantes, quos vocant acrobolistas, id est, iaculatores velitares. Qui verò hastas habebãt, illi certè quemadmodum dictum est, cum hostibus confligebant, cominus hastis pugnantes. Ex ijs autem qui prælio confligebant, alij thureos, id est, scuta oblonga magna habebant, alij sine scutis solis hastis præliabãtur, & illi quidem thureophori, id est, scutati nominabantur, hi verò hastati: nam contarium hastam appellabant.

33 Equites acrobolistas, id est, iaculatores velitares, qui eminus feriunt & præliantur, alij rhictarijs, id est, iaculis vtebantur, alij arcubus: & alij ex illis eminus cõijciebant hastas, alij directè procedentes, alij circumcursando, quos hippacontistas, id est, equestres iaculatores dixerũt, alij arcubus feriebant, quos ἱπποτοξότας, id est, equestres sagittarios. Quidam ex illis expeditis & velitaribus iaculis vteban-

ban-

bantur,& cùm ſemel atq; iterum iaculati fuerint, decætero confligunt cum hoſtibus,vel haſtis,quas habebant relictis, vel expeditis iaculis,vel ſpathis ſuis vtentes: & iſtos vocabant velites. Quidam ex illis ſecures paruas ferebãt aciem vndiq; acutam, quaſi dentes cùm exacuuntur habentes. Et equeſtrem aciem (quemadmodum paucis complecti potui)ad hunc modum armabant antiqui.

34 Pedeſtrem aciem ab antiquis ſic inuenimus deſcriptam eſſe. In tres enim partes copias ſuas diuidebant,quemadmodum à nobis ſuperius memoratum eſt:& primam,grauem armaturam, alteram peltaſtas ſiue cetratos, tertiã leuem armaturam vocabant. Et grauis armaturæ Macedonico more ponderoſiſſima arma fecere, quemadmodum Alexander Macedo facere ſolebat.

35 Etenim ſcuta illis faciebant rotunda,magna,oblonga, quæ thureos appellabant, & machæras quas parameria appellabant,& loricia,id eſt,galeas,& clibania, id eſt, thoraces, & caſſides, & manicellia, & chalcotuba quæ antiqui pericnemidas,id eſt,ocreas ęneas nominabãt, & haſtas longas. Et grauem armaturam ſic armabant.

36 Leuem armaturam, leuiſſimo om-

nium apparatu tegebant: neq; enim clibania,id eſt, thoraces,neq; loricia, id eſt, galeas, neq; chalcotuba,id eſt,ocreas æneas,neq; thureos,id eſt,ſcuta magna habebant, ſed eminus coniectis telis pugnabant,vt ſagittas vel rhictaria,id eſt,iacula vel ſaxa proijcientes alia manu, alia fundis. Veſtes habebant firmas vice antiloriciorum & thoracum, & huiuſmodi.

37 Peltaſtarum ſeu cetratorum agmen, quod recentiores rei militaris ſcriptores prętermiſerunt: arbitror enim cũ leui armatura ab ijs ſcriptoribus confuſos eſſe. Habebant autem hi armaturã, ſed leuiorem alijs: habebant autem peltam,id eſt, ſcutum paruũ,& haſtas quæ ab antiquioribus fariſſæ dictæ ſunt: ſaræ autem haſtæ erant longę interdum quatuordecim cubitorum, interdum ſedecim cubitorum. Hęc erat forma armãdi Macedonica. Peltaſtarum armatura medium quoddã inter grauem & leuem armaturã tenebat, grauior leui,& leuior graui armatura.

38 Graui armaturę adfuit quoque & aſpis Macedonia ærata non admodum concaua, id eſt, ſcutum rotundum magnum, ſimpliciorem habens cauitatem, menſura trium ſpithamarum, id eſt, dodrantium. Erat autem haſta non minor octo cubitis. Haſta longior eo vſq; duceba-

batur, quô homo viribus ſuis expeditè eam tractare potuerat.

39 Macedonica phalanx, id eſt, acies, videbatur hoſtibus propter aciei inſtruendæ modum inexpugnabilis eſſe. Stabat enim vnuſquiſq; vir armatus ipſo confligendi tempore, denſata acie ad vniuſcuiuſq; ſtationem, cubitorum duorum locũ occupans, ſariſſam, id eſt, longam haſtam manu tenens, ſedecim vt quidam putant cubitorum, reuera autem quatuordecim cubitorum. Ex ijs, quatuor cubitorum ſpatium, manus in poſteriorem partem occupabant, reliqui decem cubiti in anteriorem partem ante corpora protenduntur. Atq; hæc de ſeparata vniuſcuiuſq; ſingularis viri armatura, ex antiquis & recentioribus rei militaris ſcriptorib. collegimus & deſcripſimus, vt iſtorum notitiam cùm habeas, quod conducibile tibi fuerit eligas.

## *De exercitatione equèſtri & pedeſtri. Cap. VII.*

DEinceps iam de exercitatione quæ bellica certamina debet anteire, numero & paucis, ô Impator, verba faciã, vt p iſtas exercitationũ periclitationes, ad vera pericula eos aſſuefacias. Impitia.n.

ad ſubitas & irruentes rerum aggreſſiones cæca & incita eſſe ſolet.

2 Hyeme aut alio quouis tēpore, quando intermiſſio belli eſt, aut excurſionum in hoſtili terra relaxatio, aſſuefaciendi ad patientiam laborum ſunt milites, & bellicoſi operoſiq; aſſiduitate reddēdi ſunt, neq; in otio & deſidia eſſe ſinendi. Etenim otium languida & ſoluta facit corpora, deſidia timidas & effœminatas reddit mentes. Voluptates enim quotidie inescantes fortiſſimum quenque corrumpunt. Quando autem longo tempore interpoſito ad labores veniunt, neq; lubenter ſuſtinent, neq; diu durant, ſed ſtatim refugiunt priuſquàm periculum laborum bellicorum fecerint: ſin in periculum venerint, facilè iterum diſcedunt, neq; ad perferendos labores, neq; ad ſuſcipienda pericula idonei ſunt. Quare bonum ego iudico imperatorem, qui tū præparat tum diſponit omnes res, omniaq; negotia ad vſus bellicos ſpectantia, quando rei bellicæ nulla neceſſitas vrget. Exerceto autem eos his moribus & inſtitutis.

3 Primum, vnuſquiſque miles in aliquo negotio ſit. Graues autem, id eſt, ſcutatos pedites, vel qui vniuerſam armaturam geſtant, ad ſingulare certamen cum

ſcutis

ſcutis & virgis inter ſe exerceas.

4 Ad conijcienda eminus iacula & matzuarbulum, quod nunc dicitur Saliba, vel tzicurim.

5 Leuem armaturam exercebis, ad ſagittas celeriter iaciendas, in haſtam aliquam altam eminus defixam.

6 Ad iacula eminus conijcienda & fundas.

7 Equites exercebis ad ſagittas celeriter iaciendas: celeritas enim præparat ſagittam, tum vt facilè ex arcu excutiatur, & cum impetu emittatur: quod neceſſarium eſt, & ijs qui equis vehuntur in primis conducibile.

8 Atq; etiam vt pedites ſimiliter eminus iaciant ſagittas, ſiue in haſtam, ſiue in quoduis aliud ſignum.

9 Vt ſagittas in omnes partes equo currente iaciant, antè, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum. In equum vt exilire poſſint.

10 Vt ſagittas contentè iaciant ex equo currente, vnam atq; item alteram, & intentum arcum confeſtim in corytum ponant, ſi latus ſatis corytus fuerit: ſin minus, in ſemicorytum ad hoc ipſum opportunè factum ponant, & haſtam humeris ſuis geſtatam ſtatim in manus ſumant. Poſteaquàm autem arcum in coryto intentum habuerit & ſumpſerit ha-

stā, in humero iterum hastam statim ponat, & arcum sine mora assumat.

11 Vt inuadant se mutuò duo viri, & recedant, & rursus ingruant & euoluant se ad modum paracontarij.

12 Vtile verò est in ipso itinere faciendo, vt quidam ex illis suis locis se exerceant, & conentur hæc ex equis facere, hoc modo ipsum iter expeditum erit, & equi minus atterentur.

13 Si contingat in expedito commorari exercitum, id est in eo loco vbi coactus est, omni eo tempore ne vnus quidem ex militibus quantum fieri potest otiosus sit, sed ad laborem vt dictum est, assuefaciendi omnes sunt, & interdum prædicto more exercēdi, interdum in acie, & inter se, interdum in armis suis detergendis & nitidandis occupētur. Otium enim non solùm ignauos & effœminatos facit, sed etiam ad inania quædam & turbulenta cogitanda animum traducit. Ad voluntarios labores si se exerceant, facilè etiam coacti labores perferent, & ad imperata facienda aptiores erunt.

14 Nec sigillatim modò exercebis eos, sed generatim etiam assuefacies vt suas stationes perfectè cognoscant, & in illis cōmorētur. Et aspectu & nomine familiariter se mutuò agnoscant, & sub quo pre-

fecto

fecto miles vnuſquiſq; ſit, in qua cohorte, & quibus cum viris in contubernio collocetur.

15 Cognoſcat etiam celeriter mandata quæ à præfectis dantur. Cùm præcipitur vt extendatur acies ſiue in longitudinem ſiue in latitudinem, vel vt cogatur & contrahatur in denſitatem, vel vt inclinatio fiat in dextram aut ſiniſtram partem, vel vt ordinum commutatio, & interualla ſtationum à viro ad virum fiant, vel vt ſeparatæ ſingulorum agminum dēſitates vel raritates, vel vt mutui occurſus & diſceſſiones ſiue aduentantium ſiue recedentium ſint, & contuberniorum ſiue ordinum inter ſe partitiones, ſeparationes, & inſtructiones fiant.

16 Vel vt phalanx, id eſt, vniuerſa acies aut in arctum contrahatur, aut in longitudinem producatur, vel vt diſtomos, id eſt, anceps acies fiat, hoc eſt, quando ὀυραγοὶ, id eſt, caudani, poſt vniuerſam aciem conuerſi aduerſus hoſtes qui circumuallare exercitum conantur, quaſi præſtites pugnant, & à tergo ſimiliter dimidium contubernium ad illos conuertunt, vel vt iſtarum commutationum inclinationes & traductiones fiant.

17 Qui ad iſta aſſuefacti ſunt milites, celeriter, vt ita dicā, & ſua ſpōte ad aciem

hanc feruntur. Qui iſtarum rerum inſueti rudesq; ſunt, magno cum negotio & moleſtia ad imminẽtia pericula in acie conſtitui poſſunt.

18 Vbi exercitum diuiſeris, ſine ferreis armis inter ſe committantur, vel cum haſtis ſine cuſpide, vel ſagittis ſimiliter, vel, vt prædiximus, pro gladijs vtantur virgis vel ferulis, vel calamos pro haſtis tradas. Sin glebas habeat tellus in qua exercentur, conijcere eas iubebis in ſe mutuò inter confligendum: interdum charzanijs vel ijs ſimilibus in prælio vtantur.

19 Accliues illis colles monſtrans, iube vt cum curſu conſcendant: & in eos qui iam colles occupant, iube alios quoſuis milites inuadere, qui illos ſi poſſint depellant.

20 Vbi milites iam exercueris, illos dimittes, & alijs trades illorum arma, & manentes atque in hac exercitatione ſtrenuè ſe gerentes collaudabis, eos qui ſocorditer & effœminatè ſe gerunt, exacues, & excitabis ad offenſas illorum corrigendas.

21 Tali enim induſtria ac exercitatione non ſolùm ad labores paratior eſt exercitus, verumetiam ſanitatem melius tuetur, & cibo potioneque ſuauius fruitur, quanquam vilior ac tenuior fuerit. Et cor

pus

pus valentius firmius habet, si sudoribus, caloribus, apricationibus, frigoribus, tempestatibusq; assuefactum fuerit.

22 Similiter exercebis equites, ad decertationes quasdam & dimicationes, insectationes, conflictationes, velitationes, & sagittarum iaculorumq; emissiones, & quęcunq; deinceps tibi fusius exponam.

23 Hæc faciant in locis planis & campestribus, & ad montium pedes, & ad aspera quoque loca quantum possunt accedant.

24 Non modò mihi, verumetiam maioribus nostris visum est pernecessarium esse, vt cùm in campestribus & planis locis ad cursum exerceantur equi, tum etiã in editis & condensis & asperis locis, vt hæc loca agmine facto transeant, atque etiam ad decliuia similiter se præparent. Si enim ad hunc modum assuefacti fuerint, neq; homines neq; equos vllus locus vel offendet vel lædet.

25 Aestate ne equum ad crebrò bibendum assuefacias. Qua de causa minus vtile est propter fluuium castra ponere.

26 Aciem horum instruas in asperis & auijs locis, & cohortem ipsam permittas ita vti est instructa, agmine facto ea loca conscendere, atq; iterum descendere.

27 Quicunque suis equis parcentes, ijs.

exercitationibus abſtinent, hi quantum in ſe eſt ſuam ipſorum ſalutem produnt.
28 Deinceps par eſt, quanquã verecundè, paucis tamẽ veterum motus bellicos & præcepta explanare, vt in illis quoque exerceas tuos, & illos tum dicto tum facto ad rem bene gerendam, & rem militarem cognoſcendam excites. Nam poſteaquam vnumquenq; militem tum equitem tum peditẽ ſeorſim exercueris, vnãquanq; etiam cohortem ſiue bandum ſeparatim etiam ad hunc modũ exercebis.
29 Cohorte equitum ex ordinibus ſiue contubernijs diſpoſitè & ordinatè conſtituta, narrabit mandator imperata illis ad hunc modum.
30 Vbi conflictatio eſt, nullus anticipet, nullus tardet, donec hoſtes tuos perſequaris. Si extra conſpectum frontis exercitus iueris, intuere in cohortem, perſequere, nõ quaſi ignauus, ſed quaſi fortis miles, neq; vllius exhortationis gratia, aut vlla alia de cauſa ceſſes. Cuſtodi miles ſtationem tuam. Obſerua tu ſignifer, vbi hoſtem oppugnaueris, vt eum perſequaris. Si extra conſpectum aciei diſceſſeris, ne vehementer in campo curras, vt ne aciem tuam diſſipes.
31 Cohortis equitum exercitatio per ſe talis eſt, vt ordinatè ſe quaſi in acie moueat,

ueat, vel curſu ad aliquod ſignum contē-
dat, & ibi conſiſtat: & quando ciere co-
hortem vis, voce vel buccina, vel nutu fla-
mũli ſignificare oportet, & ſic cieto. Quã
do autem eos conſiſtere vis, vel voce illis
ſignificato, Sta: vel ſcuti ſtridore, vel tu-
ba, quæ nũc buccina vocatur, vel ſtaurea.
Et hoc vnum mouendi genus eſt.

32 Aliud mouendi genus eſt, vt æqua-
biliter procedant, laxo quodam diſiuncti
interuallo, & tum pręcipe his verbis: Ae-
qualiter procedite.

33 Aliud genus eſt, vt ad latus idoneè
denſentur, & ad caudam ſimiliter denſen
tur. Hoc verbum σφίγγεσθαι, id eſt, denſa-
ri, ſignificat cogi in vnum, vt laterib. atq;
humeris propè ad ſe mutuò accedant.
Præcipe vt ad latus ſe denſent decani ad
decanos, quintani ad quintanos, quarta-
ni ad quartanos, & denſentur omnes, vt
dictum eſt, latera lateribus adiungentes:
neq; in alteram partem dẽſent ſe ad me-
dium ſtatorem, id eſt, ſigniferum, vt hinc
atq; illinc ei adiungantur: breuiter enim
& ordinatè talis dẽſatio fit. Quemadmo-
dum autem decani æqualiter ſe in fronte
contubernij collocant, ſic & quartanos
ſiue caudanos æqualiter ſe à cauda con-
tubernij cõſtituere oportet: illis enim or
dine & diſpoſitè collocatis, ſi inter con-

fligendum priores ftationem fuam deferuerint, prohibētur tamen ab illis tergiuerfari aut retroferri.

34 Aliud genus eft quando in caudam, id eft,extremam partem denfantur: non modò enim quod ad latitudinem pertinet denfari acies debet, verumetiā quod ad altitudinem fpectat,fępe humeris ipfis inter fe adiunctis.

35 Aliud genus eft, vt poft perfectam ad latus denfationem, fic denfati ambulent: & quando fagittæ conijci incipiunt, tum præcipe,πάπαξον,id eft,feri,Decanis & Quintanis in anteriores partes inclinantibus,& fua ipforum capita cum fcutis fuis, atq; equorum colla aliqua ex parte tegentibus, & haftas humeris geftantibus, fcutis etiam tectas fuis procedant ordinatè cum tripudio, id eft, mediocri quodam motu, qui calpa dicitur: nec impetuosè currant, ne contentionis celeritate ante manus confertas, quod valde periculofum eft,perturbetur acies, fagittarijs interim qui à tergo illorum funt,fagittas iacientibus.

36 Aliud genus eft,vt incurfione interdum perfequantur quafi curfores, quos nunc proclaftas nominant:interdum ordinatè vt defenfores, quos nunc vindices appellamus:& fi quafi curforibus pręcipere

cipere oportet, dicendum est, δρόμῳ ἴλα, id est, cursu contende, & vnius milliaris spatium incursionem hanc faciant. Sin quasi defensores, præcipiendum est hoc modo μετὰ τῆς τάξεως ἀκολούθει, id est, cum acie procedito, & ordinatè ac distributè procedant.

37 Aliud genus est, vt retrocedant paululum, & rursus conuertantur: & quando illos retrocedere vult, cursor clamet, τύπτε καὶ ὑποχώρει, feri & retrocede. Vbi aũt retrocesserint ad vnum aut alterum sagittæ iactum, defensores rursus appellet his verbis, στράφου ἴλα, id est verte, contende: & confestim rursus vertent se contra hostes. Hoc faciant non modò antrorsum, sed etiã dextrorsum, læuorsum, rursumq; ad secundam aciem: neq; in ipsa versione, sed etiam interuallo interiecto vertãt se sæpe, & drungisti, id est, vniuerso agmine facto contendant contra hostes. Inter exercitandum hastas ipsas in altum sublatas, non in latus obliquatas habere oportet, ne equi in exercitatione hac & contentione impediantur.

38 Aliud genus est, vt ordinatè se in læuam aut dextram transferant, quod lateranis & cornistitibus opportunum & cõmodum est, id est, ijs qui ad circumueniendos & circumcludendos hostes consti-

tuti sunt. Et si in dextram partem traducere eos cupias, ijs verbis fiat, μετάφερε πρὸς τὰ δεξιά, id est, transfer te ad dextrā: sin læuorsum velis, tū dicas, μετάφερε πρὸς τὰ ἀριστερά, transfer te ad læuam: itaq; transeant, si vna cohors debeat, vna, sin plures, vna parte traducta, reliquæ similiter per cohortes transeant.

39 Aliud genus est, vt in quibus consistunt locis, in eisdem interdum se vertāt, interdum verò frōtem aciei commutent. Si repentinus aliquis motus retro fiat hostibus à tergo imminentib, præcipe hoc modo, μεταχημάτισον, id est, conuerte: & in statione sua consistentes, ad caudam se solum conuertant, signiferis & præfectis solis ad caudæ frontem peruenientibus. Sin magna vis hostium ingruat, tum præcipe μετάλλαξον, transmuta, & integra tum cohors se transmutet.

40 Nec verò in longitudinem solum instruere vtile est, sed etiam drūgisti, id est, confertim instruantur, vt exerceant se, & contendant variè in directum per retrogressiones & conuersiones, per repētinas hostium incursiones, vt quadam cum celeritate possint afflictis opem ferre. Si ad hunc modū assuefactæ cohortes fuerint, cōmodè poterunt in cursores, id est, proclastas siue propugnatores, & in defen-

ſores ſiue vindices,& præſidiarios,ad om nem vſum inſtrui.

41 Talis igitur exercitatio diligenter in plurimis eſt adhibenda,ſiquidem omnia à militibus cognoſcenda non ſunt. Non enim oportet omnia in vulgus efferri, ne ab hoſtibus ea cognoſcantur. Iis autem motibus prædictis ad omnes vſus belli cohortes habiles fiũt, vt tum in curſores, tum in defenſores,tum in lateranos,tum in corniſtites,vbi opus eſt,cooptari aſſumiq; poſſint.

42 Banda autem ſiue cohortes quadam conſenſione & inſtructione quaſi in acie ipſa iungēda ſunt. Sed vt ne vniuerſæ exercitationes & molitiones hoſtib. agnoſcantur, nunquam ante conflictationem ipſam vniuerſæ copiæ ſimul,id eſt,in primam & ſecundam aciem exercitationis cauſa transferantur, vel ad lateranos, vel ad corniſtites,vel ad eos qui drungiſti, id eſt, confertim & clàm adoriuntur, vel ad occultas inſidias:huiuſmodi enim conſilia imperatoria diuulgari & in vulgus efferri priuſquàm cum hoſte confligas, inutile eſt.Sed ad pręſentem rerum vſum ex tempore talia adhibenda ſunt.

43 Par eſt igitur, ſiue comitis alicuius bandum, ſiue drungus, ſiue turma ſeorſim exerceatur, ſiue in inſtructione

gni exercitus collocetur,vt in tres partes exercendi diuidantur. Si bandum siue cohors per se exerceatur,maximam partem illorum in cursorum agmine pones: ex equitatus simplicibus contubernijs hinc atq; illinc æqualia cornua defensorum loco pones: alios autẽ paucos equites eminus ante conspectum illorum pones,vt quasi ad confligendum cum illis se præparare possint.

44 Iam cùm se quasi ad prælium mouent, magno impetu facto cursores se à defensoribus separent, & vbi rectà vnum atq; alterum milliare excucurrerint, dimidium illius spatij reuertantur,& interdum dextrorsum,interdum læuorsum se currendo obliquẽt, sicq; tertiò quartoq; faciant, rursusq, orbiculatè procedant, postea spatium illud percurrentes quod inter eos & defensores est vnde exierãt, cum defensoribus quasi instructis in acie ijs occurrant qui antè eos insequebãtur.

45 Drungo,id est, integra cohorte milliaria exercitante se idem facies,& cohortem in cursores & in defensores diuides, & eos qui cursores sunt,interdum defensores facias, interdum contrà,vt ad omnem vsum parati sint.

46 Similiter facies turma aliqua se exercente,& acie prima aut secunda hoc faciente.

ciente. Aduerte autem potissimum has orbiculatas cursorum incursiones, vbi diuersa & varia banda siue cohortes fuerint, vt in duas sortes diuidantur, & contrario inter se motu currant, & obuiam sibi mutuò fiant, altera foris, altera interius currendo, vt ne impedimento equitibus sint.

47 Deinde *latrones* siue lateranos & cornistites, *id est*, eos qui ad circũdandos à dextra parte hostes locantur, separatim cum illis drungisti, id est, confertim & simul incursando exerceas. Sed id prædictis de causis quantum potes clanculum facias.

48 Itaq; si quasi aduersus aciem hostiũ eminus existentem, tuos instruxeris, accura vt exæquentur illis, & non circumueniantur ab eis. In ijs quæ cominus sunt perfice vt hostes à tuis circundẽtur, paucis equitibus per simplicia contuber nia vsque ad vnius atq; alterius cohortis multitudinem quasi hostibus præpositis, vt aduersum eos se tum ad lunãdum, tum ad circumueniendum eos, cornistites dirigant. Deinde sic qui cum illis versantur, drũgisti quasi maza simul clanculum ipsi soli de improuiso contentione quadam celeri excurrentes, à tergo, id est, postica parte hostium illos inuadant.

49 Hæ igitur exercitationes ſimplices ſunt: communiter tamen multas cohortes, & priuatim vnamquanq; cohortem idoneè exercent, & inimicis acies noſtra minimè aperitur. Iſtæ exercitationum formæ ſcriptis tradendæ turmarchis tuis ſunt, & reliquis cohortibus quæ ſeparatim exercentur.

50 Aſſuefacito ad huiuſmodi exercitationes, non ſolùm in campeſtribus, ſed etiam in auijs & aſperis, in arduis & accliuibus, in decliuibus & pronis locis: & ipſo æſtus ſqualloriſq; tempore, vtile eſt ad patiẽtiam laborum exercere milites: nemo enim ſcit quo tempore bellum futurum, & quidnam in bello vſu venturũ ſit.

51 Ita exercitatio inſtituẽda, quaſi bellum ipſum gereretur. Itaq; vtilitatis cauſa ne bellici quidem temporis ſimilitudo prætermittenda eſt: nam hæc aſſuefactio periculorum longè robuſtiores milites facit.

52 Quoniam equeſtrem exercitationem aliqua ex parte attigimus, ſic pedeſtris aciei exercitationem non prætermittemus, quam vel ex antiquis vel ex recentioribus rei militaris ſcriptoribus accepimus.

53 Pedeſtris aciei primùm contubernia deſcribãtur, quemadmodum antea præcepi-

cepimus,vt quædam ad læuam,quædam ad dextram cohortis siue præfecti collocentur: cumq; præfectus simul cum signifero & mandatore & buccinatore procedit,sequantur quemadmodum constituti fuerant lochagi,id est,prestites & decani sinistri lateris primùm,deinde dextri.

54 Vbi in exercitationis siue instructæ aciei loco fuerint, stet præfectus, & cum eo signifer,& si quis alius cum eo esse cósueuit,instruanturq; cótubernia hinc atque illinc, primùm, quemadmodum explicatum antea est, laxiore & rariore interuallo,vt ne à se mutuò affligantur: deinde ad sedecim virorum altitudinem,id est, profunditatem. Cuspides hastarum sursum erectas habeant,ne ab illis impediantur. Ante frontem aciei ambulent mandator & campiductor,id est,dux viarum, hic quidé vt vias indaget & eos ducat,ille verò vt ex imperio præfecti mandata det.

55 Si cohors exercéda sit,cohortis præfectus ante eos cum mandatore & campiductore ambulet. Sin turma exerceatur,nemo anteambulet nisi turmarchus & eques cum mandatoribus duobus, & campiductoribus duobus, stratore vno & spathato vno,id est,armigero qui turmarchæ arma gerit, donec prope conflicta-

tionem ipſam venerint copiæ, tum certè ad locum ſuum & ſtationem in cohorte & bando ſuo tutò accedat.

56 Neque cum hoſtibus confligat ille, neq; buccina, quamuis complures fuerint, in vllo μέρει, id eſt, triente exercitus perſonet niſi merarchæ, ſiue vnam turmam triens habeat, ſiue plureis, vt ne tumultu aliquo impediantur mandata exaudire. Et grauis armatura, id eſt, pedites ſcutati; ad hunc modum inſtruuntur.

57 Leuis armatura diuerſis modis inſtruitur. Qui enim ἀκροβολισταὶ olim, nũc ſagittarij nominantur, interdum à tergo vniuſcuiuſq; cõtubernij pro multitudinis ratione collocẽtur, vt ſcutatorum ſingulis contubernijs quaternionibus vnus ſagittarius reſpondeat. Interdum in ipſa contubernij altitudine ſcutatus & ſagittarius alternatim ſtent, interdum in contubernijs & in cornibus, id eſt, extremis oris copiarum, interius equitibus, ſæpe etiam exterius haud longè cum paucis ſcutatis ad defendendos interiores equites, ſi multa leuis ſit armatura.

58 Qui rhictaria, id eſt, iacula vel tzicuria vel barducia habent, ij vel à tergo ſcutatorum, vel in extremis oris aciei, & non in medio, locentur. Funditores omnes in extremis oris aciei. Nunc autem ſagittarios

tarios reliquosq; iaculatores à tergo cõtuberniorum aduersum eos qui contaria exercent, vel quemadmodum vsus requirit, collocabimus.

59 Equites in ipsis oris aciei pedestris collocabis. Quæcunq; autem robustiores cohortes sunt, cũ ducibus suis in exteriori loco collocentur. Et si complures equites fuerint qui duodecim milliũ numerum excesserint, tum ad decem virorum altitudinem fiant: sin pauciores, ad quinq; virorum altitudinem constituantur. Sint autem quidam supra iustum numerum, qui vltra currus à tergo in subsidijs locentur, vt si à tergo hostes inuaserint, occurrant illis: sin minus, lateribus adiungantur.

60 Laxiore primum interuallo instruantur isti, vt si aliqua occasio exercitus commutandi fiat, minimè impediantur.

61 Pręcipies equitibus, ne nimis impetuosè cursent in hostes, neq; à pedestri acie longo interuallo discedant, ne si fortè insidiæ fiant, & hostes retrò in eos se cõuertant, pedites horum præsidio destituti aliquod vulnus accipiant. Si pressi admodum dissipatiq; fuerint, tum retro ad currus suos conseruandos, qui à tergo aciei pedestris instructi sunt, se conferãt, nec eos prætereant. Sin ne sic quidem

resistere possint, ex equis descendant, & pedibus se ipsos defendant.

62 Si aciem instruere exercitus voluerit, non tamen eo die confligere, si aduersarij in equites irruerint, & nequaq̃ sustinere eos tui poterunt, ne præstolentur eos in aciei cornibus sistendo, sed retrocedãt ad extremas oras aciei & curruum. Quod si fiat, maiore interuallo opus est, vt discedentibus iam tum equitibus, cæteri angustijs non nimis premantur, ne hostium sagittis lædantur.

63 Hæc tempore prælij maximè fiant: hac de causa enim hę exercitationes maximè suscipiuntur.

64 Iis rebus igitur descriptis, pręcepta à nobis & institutiones pedestris aciei, quemadmodum & equestris, explicandę tibi ac proponendæ sunt.

65 Quando ad exercitationem omnes instructæ aciei cohortes cõuenerint, hæc illis mandator præcipiat: Cum silentio omnes imperata facitote: Ne perturbemini: Stationem vestram seruatote: Cohortem sequamini: Nemo cohortem suã deserat: Inimicos persequamini. Hac oratione habita, ita quietè & remissè se mouebunt, vt nemo ne susurret quidem.

66 Exercitãdi ad hæc sunt voce vel nutu & signo aliquo vt moueant & stent, laxen-

xentur, & in altitudinem contubernio-rum diuidantur, incedant æquabiliter & ordinatè, in frontem, id est, directè, ac varijs modis diuersisq; se contrahant & densent, tum in longitudinem, tum in altitudinē: phulco ambulent, sicq; quasi in ipsa prælij acie essent, ad eam formam confligant.

67 Exerceant se quoq; ad hunc modū, interdum cum virgis, interdum cum nudis spathis, id est, gladijs: diuidantur in diphalangiam, id est, duplicatam aciem, & rursus in pristinam formam redeant: dextrorsum & læuorsum se obliquent, & in cornu se inflectant, id est, dextrorsum procedāt, & rursus pristinam ad formam redeant: & ancipitem aciem instruant, id est, ad accipiendos vtrinq; hostes paratam, & rursus ad pristinam formam redeant: in dextram & læuam se transferant, densent se & dilatent, id est, diffundāt altitudinem contubernij, à tergo commutentur, & rursus ad pristinam formam redeant. Hæ formæ propter varias circunstantes causas exercendæ sunt.

68 Vocis igitur aut nutus signo aliquo mouent & consistunt. Quando mouere eos vult, buccina vel staurea, vel voce sua significat Cāpiductor, & mouentur: quando verò cōsistere eos vult, tuba, id est, par-

ua buccina vel voce & nutu manus significat,& consistunt. Propterea autem voci & signis assuefaciendi sunt,quia curruum tumultus ingens sæpe, sæpe puluis, sæpe caligo magna obuersatur.

69 Attenuantur contubernia, quando sedecim virorum altitudinem habent, & eos in longitudinem aciei potius diducere,vel ornatus causa alicuius, vel vt alicui alteri aciei exæquentur,cupis. Præcipies autem ijs verbis:ἔξελθε, id est, exeas:& exibunt statim vnus post alterum se separans. Itaq; altitudo contuberniorum attenuatur,& lõgitudini aliquid adijcitur, & altitudo nunc tantummodo virorum octo fit. Si verò quatuor solùm virorum altitudinem vis esse, dic rursus, ἔξελθε, id est, exeas, & exibunt omnes in vnam solùm partem,dextram aut sinistram. Hoc enim diligenter obseruandum est, vt omnes vnam in partem veniant & exeant.

70 Iubeantur incedere æquabiliter & ordinatè. Quando quidam in acie cæteros anteuertunt, & inæqualiter eunt, ijs verbis præcipies,ἴσον τὸ μέτωπον,id est,æqualis sit frons,& statim æqualis erit.

71 Contrahitur vel densatur exercitus, quando duobus aut tribus sagittæ iactibus ab hostium copijs cùm abest,& fron-

tem

tem vtriusq; exercitus committere vult, contractum & densatum ad medium locum tum longitudinis tum altitudinis eousq; frontem adducit, vt qui in anteriore parte instructi, & qui à lateribus fuerant, intra curruum complexum quasi cõtineantur. Hæc forma potest esse tum stante, tum mouente exercitu.

72 Præcipiendum quoq; οὐραγοῖς, id est, vltimanis seu caudanis persępe est: & eos qui à tergo sunt impellere oportet, atq; ad vsum omnem militarem incitare, vt ne aliqui ex illis tardantes omissi sint.

73 Phulco ambulant, quando iũctis copijs hostium simul & nostris, sagittæ conijci incipiunt, & qui in fronte instructi sunt, zabas, loricia, id est, galeas non gestant. Cùm præcipitur illis πύκνωσον, id est, densato, tum qui in fronte instructi fuerint, densant scuta sua donec sibi mutuò appropinquauerint, vẽtres suos vsq; ad suras & genua scutis suis operientes: qui à tergo illorum stant, scuta sua supra eos traducentes, & in anteriore illorum parte ponentes pectora & vultus illorum tegunt, sicque cum hostibus confligunt.

74 Quando autem dẽsata acies ad vnius sagittæ iactum ab hostibus abfuerit, & conflictatio futura est, dicto, ἕτοιμοι, id

est,parati. Alius statim excipiat,& clamet, βοήθει,id est,iuua:& confestim vna claraq; voce omnes personent,ὁ Θεός,id est,Deus. Ibi tum leues sagittas altius conijciant. Scutati qui in fronte constituti sunt, vbi prope hostes fuerint, si matzucia vel tzicuria vel rhictaria habeant, humilius cõijciant ea:sin minus, præstolantes donec cominus venerint, & tum iaculantes vel conijcientes tela,gladios distringant,neque retrocedentibus & tergiuersantibus hostibus excurrendo, sed in acie consistendo pugnent. Qui à tergo illorum stant, sua ipsorum capita scutis suis tegentes, anterioribus hominibus cum iaculis suis succurrant.

75 Qui in fronte exercitus sunt,sibi ipsis diligenter prouideãt, donec cominus ad manus vẽtum sit, ne si zabas aut chalcotuba,id est,ocreas ęneas non habeant, sagittis ab hostibus confodiantur.

76 Diuiduntur in diphalangiam,id est, duplicatam aciem,quando acies instructa directè ambulat, atq; antè ac à tergo imminent hostes: ibi tum si ex sedecim fiat contubernium, & in conspectu fuerint hostes, & cominus manu confligere voluerint, præcipe vt per octo se diuidãt, & octo in diphalangiam statim,id est,duplicatam phalangẽ diuidantur,sicq; octo

con-

contubernales immoti ſtabunt,alij octo conuerſi & mouentes ſe in contrariam partem,ad duplicatam quaſi aciem ſe diuidant, reliqui ad octo vel quatuor altitudinem conſiſtent. Illis præcipiendum eſt, ἑδραῖοι στῆτε οἱ δεύτεροι, καὶ οἱ τῆς διφαλαγγίας ἐξέλθετε,id eſt,firmi ſtate ſecundi,& in duplicata acie qui eſtis exite. Secundi autem ſunt qui ἐπιστάται,id eſt,aſtites nominantur, qui ſub decani poteſtate ſunt. Hi conuerſi tam propè ad ſe mutuò accedãt,vt paulò amplius veſtigij interuallo diſtent, ne vtrinq; cõiectæ ab hoſtibus ſagittæ, terga vtrinq; ſpectantium lædãt, ſed opportuno aliquo in loco cadant. Deinde ſic illis præcipito,ὑποστρέψατε,reuertimini:& rurſum,ſi vſus fuerit,cõuerſi ad priſtinam aciei formam redeant.

77 Si, quemadmodum vſu venire plerunq; poteſt, maiores hoſtium copiæ à tergo,id eſt,poſt inſtructam aciem curribus non ſequentibus inuadant, tum ſecundi ſiue epiſtatæ, id eſt, aſtites conſiſtant,& primi ſiue præſtites, qui lochagi nominantur,contra eos eant.

78 Diphalangiæ,id eſt,duplicatæ aciei vſus eſt, quando currus non ſequuntur, vel ſi ſequantur, ab hoſtibus tamen populantur.hos autem omnino oportet pedeſtrem aciem inſtructã ſequi, niſi fortè

equestris exercitus cogatur pedibus ire, idq; temporis vel curribus, vel alia quapiam materia à tergo eget.

79 In dextram & læuam partem inclinantur, quando in alteram partem acies obliquatur, vel vt producatur acies, & circumueniat hostes, vel vt ne circumueniatur ab illis, vel propter loci opportunitatem, vel propter loci angusti transitum. Si dextrorsum traducturus aciem es, præcipe ijs verbis, Ad hastam declina, eoque se armati flectant: deinde præcipe, ἐπίστρεψον, id est, cõuerte te, & ad pristinam formam redibũt. Sin eos ad læuam declinare volueris, præcipe, ἐπὶ κοντάριον κλίνας κίνησον, ad hastam declinãs te moue: atq; hæc perinde ac superiora faciant.

80 Αμφίστομος, id est, anceps motus est, quando inimicis subitò antè & retrò inuadentibus, non in diphalangiam, id est, duplicatam aciem copiæ diuidũtur. Præcipiet contubernijs vt stationem suam custodiant, & dimidij contra eos qui primò veniunt ad standum se aptent, dimidij contrà ad tergum cõuersi. Qui in medio consistunt, capita sua scutis tegant.

81 Dextrorsum aut læuorsum mutantur, quando, necessitate hoc postulante, ad dextrã aut læuã transferre vis exercitũ. Præcipe ijs verbis, μετάφερε εἰς τὰ δεξιά, id

id eſt, transfer te ad dextram: vel rurſus, μετάφερε εἰς τὰ ἀριστερά, transfer te ad læuam. Vna cohorte tranſeunte, yniuerſa acies ad eam partem tranſeat.

82 Rarefiunt ſiue dilatantur acies, quã do denſatã eam diuidere volueris, & iuncta cõtubernia ſeparare, & vniuerſas copias in longitudinem producere. Præcipies autem ijs verbis, πλάτυνον πρὸς τὰ ἀμφότερα μέρη, id eſt, dilata in vtranq; partem, & diffundantur ſtatim. Hæc forma tùm ambulante, tum ſtante exercitu fieri poteſt duobus cornibus exterius nutantibus, ſiue turma ſit ſiue exercitus.

83 Denſantur vel duplicantur contubernia, quando ad quatuor virorum altitudinem ſtant, & duplicare eum numerum vis, & idoneè ad altitudinem contubernij firmare contra hoſtium aciem, dices, εἴσελθε, id eſt, ingredere, & ſtatim octo erunt. Sin eos ſedecim volueris facere, rurſus dices εἴσελθε, & vnus poſt alterum euntes ad ſuam ſtationem duplicantur, & fient ſedecim altitudine. Ab vno autẽ latere ſolùm exeant, ſicut antea prçcepimus. Sin ad triginta duo virorum altitudinem contubernia, quod minimè neceſſe eſt, facere vis, prædicito, στίχος ὑπὸ στίχον, id eſt, manipulus ſub manipulo: atque ita duplicantur, & acies ipſa

denſatur,& longitudo eius contrahitur.
84 Contrahitur, quando ambulante in directum exercitu, non ante eius conſpectum hoſtes veniunt, ſed à tergo. Tum ſi frontem, id eſt, lochagos ſiue præſtites ſedecim virorum altitudine ad caudam ſiue vltimũ agmen transferre cupis, præcipe ad hũc modum, μετάλλαξον τὸν τόπον, id eſt, commuta locum: & altitudinem contubernij tranſeũtes lochagi ſiue pręſtites, compluribus eos ſequentibus, frõtem nouam ex aduerſo hoſtium conſtituant. Hoc ante denſationem exercitus ſedulò fiat. Si iam addenſatus fuerit exercitus, & hoc quod ſuprà memoratum eſt, commodè fieri non poteſt, dicito, μετασχημάτισον, id eſt, conuerte: & quemadmodum antè ſtabant conuerſi, ſolùm ad tergum extremam aciem reſpiciãt, lochago ſiue præſtite in anteriorem partem minimè ſpectante, ſed vltimano iã in fronte conſtituto, quem οὐραγὸν, id eſt, caudanum nominant. Hę igitur exercitationes, tum ipſo belli tempore militem paratum & idoneum efficere, tum ante tempus belli, ſine ferro, armis alijs ad exercitationem idoneis, ad omnes formas bellicorum motuum, & ad omnem inſtitutioné aſſuefacere poſſunt. Ingenuè, ſine turba & tumultu fiant, diuiſis ſic inter ſe cohortibus,

tibus, vt duas ſibi mutuò acies oppoſitas faciant, ſiue ex vna cohorte, ſiue ex pluribus hæ acies inſtruantur.

85 Non ignoro autem alias quaſdam præceptiones exercitationesq; motuum ſcriptis ac literis eſſe proditas, tum ab alijs, tum potiſſimum ab Aeliano & Arriano, quibus cum cæteri quaſi vna voce conſentiunt: ſed ne ad nimiam longitudinem producatur oratio, vno quaſi capite ſolùm illa recitabo: de cętero autem propter longitudinem illa eadem prætermittam, partim propter obſcuritatem atq; inutilitatem, partim quia ijs diligẽter cognitis quæ à nobis explicata ſunt, experientia quadam adhibita, facile iſta ab eis ſumi poſſunt. Valde etiam proptere a inſciti rudesq; rerum videremur eſſe, ſi hæc quæ cum claritate quadam & perſpicuitate expoſita ſunt, cum obſcuritate iterum repeteremus.

86 Ab Aeliano autem hæc nomina, & hi motus recenſentur: κλίσις, id eſt, declinatio. hanc autem declinationem in duo diuidit, alteram ἐπὶ ἀσπίδα, ad clypeũ, ſiue ad ſcutum, vel ad læuam: alteram ἐπὶ δόρυ, ad haſtã, vel ad dextram. Alius apud illũ motus eſt, μεταβολή, commutatio, cõuerſio, reuerſio, biflexio, triflexio, iugare, decuriare, dirigere, euoluere, duplicare.

Dicitur etiam inductio, dextra traductio, obliqua phalanx, recta phalanx, incurua phalanx, interiectio, præpositio, impositio, suppositio, postpositio, appositio. Nomina igitur motuum hæc sunt. Præcepta autem illis hæc trade:

1 ἄγε εἰς τὰ ὅπλα. *Agè ad arma.*
2 παραστῆτε παρὰ τὰ ὅπλα. *Assistite armis.*
3 ὁπλοφόρος μὴ ἀπείτω τῆς φάλαγγος. *Armatus ne discedat ab acie.*
4 σίγα καὶ πρόσεχε τῷ παραγγελλομένῳ. *Sile & attende præcipientem.*
5 ἄνω τὰ δόρατα. *Sursum hastas.*
6 κάθες τὰ δόρατα. *Demitte hastas.*
7 οὐραγὸς τὸν λόχον ἀπευθυνέτω. *Vltimanus contubernium dirigat.*
8 τήρει τὰ διαστήματα. *Custodi interualla.*
9 ἐπὶ δόρυ κλίνον. *Ad hastam declina.*
10 ἐπὶ ἀσπίδα κλίνον. *Ad clypeum declina.*
11 πρόαγε. *Procede.*
12 ἔχε οὕτως. *Istuc serua.*
13 εἰς ὀρθὸν ἄποδος. *Directè procede.*
14 τὸ βάθος διπλασίαζε. *Altitudinem duplica.*
15 ἀποκατάστησον. *Recipe te iterum.*
16 τὸν λάκωνα ἐπὶ τὸ δόρυ ἐκπερίσπα. *Laconicum ad hastam triuolue.*
17 ἀποκατάστησον. *Recipe te.*

Sed ista atq; alia item huiusmodi propter

pter obscuritatem & inutilitatem hucusque distulimus, quia breuitatis & perspicuitatis maximam rationem habemus. Hæc igitur à nobis de exercitatione equestri & pedestri, tum sigillatim per vnumquenq; militem, tum generatim per cohortes atq; acies, breui commemorata satis sunto. Par est autem, & rei susceptæ idoneum, delinquẽtibus militibus mulctas imponere, vt eas cognoscant, & ne ignorantia quadam in hæc supplicia illis constituta incidant.

## De mulctis militaribus. Caput IIX.

NOn modò in veris certaminibus, sed etiã ipso exercitationis tẽpore, omnes præfecti atq; cohortes militares cõuocandi, & hæ leges militares recẽsendæ sunt, quæ mulctas has continent.

2 Si miles Quintano aut Quartano suo aduersetur, castigetur: sin quartanus aut quintanus decano suo aduersetur, castigetur quoq;. Sin decanus centurioni, pari modo. Sin quis ex cohorte audeat hoc aduersus suum ipsius comitem facere, capite plectatur.

3 Si quis iniuriam à quoquam acceperit, ad cohortis suæ præfectum referat: sin

ab ipso præfecto lædatur, maiori alicui præfecto narret.

4 Si quis audeat magicam exercere, quo tempore milites domum suam remittuntur, perpetuò ab omnibus aciebus expellatur.

5 Si qui coniurationem aut pactum aliquod contra præfectum suum quauis de causa fecerint, capite plectantur, & in primis illi, qui huius seditionis & coniurationis authores fuerint.

6 Si cui custodia ciuitatis aut castelli alicuius commissa est, isq; eam prodiderit, aut inuito præfecto deseruerit, extremo supplicio afficiatur: neq; ille solùm, sed is etiā qui cùm cōscius hui⁹ facinoris, id ipsum tamē præfecto indicare noluit.

7 Si quis seipsum inimicis prodere velle deprehendatur, extremo supplicio afficiatur.

8 Si quis cùm decani mādata audierit, non agat ea, castigetur. Sin propter ignorantiam offenderit, decanus ipse qui hoc illi non indicauit, castigetur.

9 Si quis bestiam aliquam aut rem siue magnam siue paruam inuenerit, & eam præfecto suo nō tradiderit, tum ipse tum qui conscius illi est, quasi fures vtrique castigentur.

10 Si quis damnum municipi suo fecerit,

rit,& illud voluntate ſua non reſarcierit, duplam illi mulctam perſoluat.

11 Si quis aliquo vocationis tempore intermiſſioně aliquam habeat,& eo tempore arma ſua neglexerit, & decanᵘ eum nõ coëgerit noua comparare, aut ſaltem præfecto ſuo hoc non indicauerit, tum miles tum decanus caſtigentur.

12 Si quis præfecto ſuo non obtemperauerit, legibus caſtigetur.

13 Si quis damnum militi aut municipi fecerit, duplum illi reſtituat.

14 Si in hybernis fuerit exercitus, & in ipſo itinere dux vel miles damnum municipi fecerit,& illud iterum, quemadmodum par eſt, non compẽſauerit, duplum illi perſoluere cogatur.

15 Si quis belli tempore ſine cõmeatu, id eſt, dimiſſione exercitus, militem dimittere audeat, triginta numis mulctetur. Hybernis autem duos aut tres menſes hoc faciat: pacis tempore pro interuallo loci commeatus ſiue dimiſſionis tempus militi concedatur.

16 Si cui cuſtodia Ciuitatis aut Caſtelli alicuius commiſſa eſt, & eam prodiderit, vel ſine neceſſitate aliqua ad vitam pertinente diſceſſerit, cùm poſſet locum defendere, capite plectatur.

Hæ congregatis ipſo exercitationis

tempore militibus, & alio quouis idoneo tempore, ad militum & præfectorũ scientiam mulctæ legantur.

17 Constituendæ præterea illis reliquę mulctæ sunt, quæ belli tempore necessariò seruandæ sunt.

18 Post instructas cohortes, hæc illis legantur:

19 Si miles belli tempore aciem suam aut cohortem reliquerit, aut aufugerit, aut locum in quo constituitur anteuerterit, vel cadauer despoliauerit, vel ad insequendos hostes excurrerit, vel ad tuldum siue impedimenta, vel fossatum, id est, castra hostium accesserit, capite mulctetur, & omnia bona detrahantur, & cohorti vniuersæ, quia aciem dissoluere cogitabat, & alijs insidias struebat, distribuantur.

20 Si vniuersæ aciei instructæ aut ipsius conflictationis tempore, fuga (quod absit) nulla rationabili de causa certaq; fiat, præcipimus milites cohortis eius quæ primò terga dabat, & primùm ex acie discessit, quasi decimari, & à reliquis cohortibus sagittis configi, quia aciem dissoluerunt, & authores omni ex parte huius fugæ fuerunt.

21 Sin quosdã ex illis sauciatos esse cõtingat, eos omni hoc crimine liberamus atq; exoluimus.

Si

22 Si bandi, id eſt, cohortis alicuius ab hoſtibus ereptio fiat, quæ ſine vlla certa aut manifeſta cauſa diſcedit, hi quibus cuſtodia huius cohortis commiſſa eſt caſtigentur, & omnium ſubiectorum abiectiſſimi conteptiſſimique ſint. Sin quoſdam ex illis pugnando ſauciatos eſſe contingat, iſtos hac mulcta liberos eſſe volumus.

23 Si iam foſſato, id eſt, caſtris poſitis contingat (quod abſit) alicuius turmæ ſiue aciei fugam fieri, neq; ad defenſores accurrunt, neq; fuſi & fugati ad caſtra cõtendunt, ſed contemptu aliquo ad alia loca tranſuolant, hi qui hæc faciunt ſic puniantur quaſi cæterorum proditores & contemptores.

24 Si miles in prȩlio arma abijciat, puniatur is quaſi qui ipſe ſe nudat, & hoſtes armat.

25 Si quis præfectus arma militi detraxerit, vel excuſationem pro eo attulerit cur ad diem commeatus non venit, aut vbi domum venerat ita ſeruitio illum occupatum detinuit, vt ſtationem ſuam neglexerit, & arma contempſerit, præter ea quæ à noſtro Scrinio conſtituta ſunt, caſtigetur & mulctetur: Imperator auri libra: Turmarcha numis triginta ſex: drungarius, id eſt, præfectus cohortis milliarię

numis vigintiquatuor: comes, id est, præfectus cohortis, numis duodecim. Iis igit̃ mulctis militaribus descriptis, deinceps tibi quemadmodum ducẽdus exercitus sit tum domi tum foris, siue vniuersus tibi ducendus sit, siue cohortes separatæ aliquæ, qualiq; cum constitutione faciendum sit, exponam.

## *De exercitus itinere.*
## *Cap. IX.*

VBi in vestra ipsorũ ditione cum exercitu iter fit, militib. præcipiendũ est, vt neq; prædẽtur neq; populentur terrã. Multitudo enim militum si quando licentiam habeat, solutè in omnia irruit: obiecta enim antè oculos præda, ad cupiditatem inescatur. Ex quo fit, vt vestri sæpe vobis inimici atq; aduersarij sint.

2 Ne tardes in vestra cum exercitu ditione commorãdo, cùm iam in hostilem terram irruere decreueris: nam & proprias fruges absumes, & amicos magis quàm inimicos lædes. Celeriter igitur copias traducito, idq; potissimum si in frugiferam & fructuosam hostium regionem irrupturus es.

3 Frequentem exercitum, nisi hostes immineant, in vnum locum ne cogas: o-

tiosi

tioſi enim milites ad ſeditiones & peruerſas cogitationes ſe adiungunt.

4 Sin vſus aliquis hoc requirat, vel adnomij, id eſt, nominum deſcribendorum cauſa, vel alicuius alterius rei gratia, vt cogantur in vnum milites quanta maxima celeritate potes, copias vel diuide vel exerce, & in rebus bellicis occupatos tene, quemadmodum in capite De exercendis militibus, præſcripſimus. Otiũ enim & deſidia, inſolitas atq; intemperantes ferè cogitationes pariunt.

5 Si bellum expectes, in acie exercitus inſtructus prodeat, ſiue per drungos, id eſt, cohortes milliarias, ſiue per turmas, ſiue per integras acies iter faciat. Nam in acie eſſe milites non ſolùm in hoſtili terra, ſed etiam in ſua, perutile eſt, & tutiores eos, magiſq; exercitatos reddit.

6 Vnumquenq; drungum ſeu cohortem milliariam aſſuefacito, vt illorum impedimenta à tergo eam ſequantur, cum priuatis & ſuis inſignibus, neq; aliena admiſceantur. Quando enim in noſtra regione hoſtes neq; adſunt neq; expectantur, vel drungatim vel turmatim ambulent, nec in vnum locum conducantur, vt ne fame premantur, neq; facile ab hoſtiũ ſpeculatoribus numerentur, & paſtus iumentorum omnes exedant.

7 Propinquis iam hostibus, ante sex vel septem aut etiam decem dierum pugnā, cumq; propè castra ponuntur, si in ignota loca iter faciendum sit, neque indigenæ ductores adfuerint, metatores siue mensuratores præmittes vt loca anticipent, si nullus hostium timor impēdeat, qui castrorum ambitū ante vnum diem dimetiantur, in quo castra ponentur, & certam quandam mensuram cum proportione iusta vnicuiq; turmæ tribuant.
8 Idem faciant & anticensores: horum etiam officium est, aquarū pastionumq; vim & copiam aduertere.
9 Si per aspera admodum loca iter futurum est, aut præcipitia, aut per auia & condensa loca, aliquot ex exercitu præpara & præmitte, qui quoad fieri potest planam & directam viam efficiant, vt ne equi affligantur. Hi qui ad hoc negotium asciti sunt, neque speculationibus, neque vllis alijs muneribus faciendis inseruiant.
10 Prodeunte exercitu, primus anteeas tu vniuersi exercitus imperator: & anteeas honoris tui causa, propter multorum timorem, cum vniuersa expeditione tua & cohortibus tuis: extrema autem omnium impedimenta tua eant.
1 Ad hunc modum vnusquisque tum tur-

turmarcha, tum drungarius, id est, tribunus minor prodeat, hanc aciem seruans, siue coniunctè omnes ambulent, siue seorsim. In fluuiorum transitionibus aut aliorum ignotorum locorum, antecessores præmitte, qui prius loca explorent, eaq; qualia sint nuncient, vt quibusdam idoneis Præfectis statim præmissis, diligenter asserues transitum.

12 Sin admodum lubrica difficiliaq; loca fuerint, teipsum oportet primum eò transire, deinde ibi consistere & commorari, donec omnes sine offensione transierint.

13 Hoc enim virum nobilissimum & clarissimum patrem nostrum Regem Basilium fecisse cognouimus, quando contra Germanitiam Syriæ ciuitatem copias duxerat, & Paradisum fluuium anticiparat, qui lampadibus in medio cōstitutis, ipse sua ipsius præsentia atque ope, vniuersum exercitum facilè & sine offensione traduxit, qui sæpe manum illis afflictis porrexerat, & quosdam ex periculis eripuit.

14 Hæc, si hostes non immineant, Imperator facies: sin propè fuerint, tum in propria statione permaneas. Vnusquisq; autem præfectus suijpsius cohortis aut turmæ curam suscipiet, donec omnes qui

ſub imperio eius fuerint, tranſeant, vt ne alius alium anteuertendo, ſe mutuò perturbent atq; affligant: tum enim fortaſſis aliqua incommoda orirentur.

15 Quando autem per regionem aliquã tranſieris quę ſub ditione noſtra eſt, parcas & faueas agris cultis: idemq́; militibus pręcipe, ſiue loca culta & vitibus conſita, ſiue horti fuerint, ne per medium horum locorum tranſeant, vt ex legibus præſcriptisq́; noſtris municipes atq; agricolæ illæſi conſeruentur.

16 Si fieri poteſt vt per inculta loca eas, illuc longo interuallo tranſi. Sin neceſſitas ipſa vrgeat vt per hæc eas, vniuſcuiuſq; turmę præfectis pręcipies, vt ibi cõſiſtant, & cautionem diligentem adhibeant, donec omnes milites qui ſub illorum poteſtate ſunt, tranſierint, & præfecto tum proximo loca hæc illæſa tradãt, ſicq́; diſcedant.

17 Similiter etiam proximus illi faciet, & vnuſquiſq; etiã præfectus ordine ſuo: ſic & ordinis conſeruatio tum tua, tum præfectorum, tum militum adhibebitur, & agricolæ fructus illæſus erit.

18 Quando imminere labor belli, vel difficilis & in omnes partes circunſpiciendus tranſitus eſſe videtur, ſi feræ aut manſuetæ beſtię occurrerint, aut in conſpe-

ſpectum illorum prodierint, venatione & inſectatione illarum milites tuos prohibebis: magna enim turba, magnusq́; clamor ex eo eſſet, & equi illorum ſine vlla neceſſitate affligerentur.

19 Quando pacis tempus, & nulla belli expectatio eſt, tunc venatio admodum vtilis militibus eſt.

20 Si paruum exercitum contra hoſtes duxeris, per habitata loca ne ducas, neq; in tua neq; in hoſtium regione, ne fortè ſpeculatores facilè aduertant, & hoſtibus nuncient: ſed per alia quędam loca incognita eos ducas: idq́; in tua ipſius ditione facies, ſi quando exercitum ducis.

21 Quando per hoſtilem terram iter facit exercitus tuus, incende, vaſta, populare terram illorum: nam pecuniarum egeſtas frugumque inopia, hoſtes imbecilliores, bellumque infirmius facit: quemadmodum contrà iſtarum rerum affluentia, illorum vim incitat contra nos, atq; adauget.

22 Si longo tempore in hoſtili terra commoraturus es, tot taliaque vaſtato, quot qualiumq́; tu non egebis. Ad exercitus tui ſumptus quod neceſſarium erit reſeruabis.

23 Quando omnes copias coëgeris ſimul, neq; in noſtra ditione, neque in vl-

la regione ſub imperium noſtrum ſubie-
cta diu præſtolare: nam & noſtras fruges vaſtabis, & amicos magis quàm inimicos lædes. Celeriter autem, ſi aliquod periculum impendeat, à noſtra ditione ad hoſtilem terram traducito: nam ſi fuerit ea opima, fertilis ac locuples, vbertatem commeatus & cæterarum rerum affluentiam habebis: ſin eiuſmodi non fuerit, tuam tamen integram conſeruabis, & multa in hoſtili terra, quanquam admodum fructuoſa non ſit, ad alendum tamen exercitum idonea inuenies.

24 Vbi in hoſtili terra fueris, haud permittes milites tuos ad omnem prædam inordinatè excurrere: ſæpe enim ab hoſtibus circumuenti, magnas & graues clades accipient.

25 In tua ipſius terra cum exercitu proficiſcens, cogitabis de annona & mercimonijs, tum terra tum mari, vt ad vos ſine incómodo perueniant: tum enim copiosè & affluenter ea omnia, quorum in exercitu aliquis vſus eſt, ad vos aſportabunt.

26 Quando per anguſtias aliquas, aut per arduos auiosq; montes profecturus es, præmitte ex tuis qui iuga montium & loca ibi æditiſſima occupent, & qui aditus anguſtos & minus patẽtes, quas clau-

ſu-

ſtiras nominant, anticipent, ne hoſtibus præuertentibus, & in ipſis anguſtiarum faucibus & montium faſtigijs conſidentibus, vel iter omnino impediatur, vel ſine magna offenſione confici non poſſit.

27 Hoc idem etiam tu prouide, ſi quando hoſtilem incurſionem in tuam regionem futuram formidas: aliqua enim militũ manu ad anguſtias occupandas miſſa, illos aditu prohibebis, & permulta incommoda illis afferes.

28 Si lõgum aliquod iter, & multorum dierum viam tum in tua, tum in hoſtili regione confecturus es, primùm aſſuefacito milites, vt in regione tua dum ſint, ordinem ſuum in manipulis, quę contubernia quoq; vocantur, & ſtationem teneant, ante gredientes ſequantur, vt hoſtilem in terram cùm venerint, & necopinatis de improuiſo incurſionibus appetiti ſint, minus tumultuentur, & alij ad alios confusè accurrentes, ſibijpſis nullo præſidio ſint, ſed ab hoſtibus multa mala tum propter ſui perturbationem, tum propter hoſtium impetũ accipiant. Conſueta enim hac ordinis conſeruatione, tũ ad res omnes ſuſcipiendas erunt idonei, tum ad bellum ipſum parati, præſertim ſi ſignum aliquod habeant, & aſpectu ipſi ſe inter ſe agnoſcant.

29 Per angustias tales quam minimè potes ducito exercitum, sed per spatiosa loca, in quibus non prementur angustijs locorum implicati, sed vbi à latere produci in lõgitudinem possunt: facilè enim insidijs circumueniri, & hostium subito interuentu opprimi possunt, qui ita locis inclusi sunt, vt ad aliquid præclarum suscipiendum impediantur.

30 Si enim ex aduerso hostes veniant latius instructis copijs, facilè fundentur & dissipabuntur tui, quemadmodum cùm in bello ab hostibus circunclusi estis.

31 Sin à latere per medias copias hostes incurrant, facilè distrahuntur & separantur copiæ. Quòd si ad phalangem redire voluerint, & vtrinq; quasi aciem instruere, infirmũ tum prælium erit, quia confestim hoc ab illis fieri non potest.

32 Sin à tergo inuadant, æquè præsens periculum est, ac fuisset si eos qui in fronte sunt inuasissent.

33 Quòd si aliquod subsidium esse contingat, inutile tamen illud atq; inefficax erit. Nam cum qui à tergo sunt opem ferre ijs student qui in fronte collocantur, aut contrà qui in fronte sunt, ijs qui à tergo sunt succurrere volũt, tarda tamen & sera progressio hæc solet esse, ac plerunq; inutilis.

34 Exercitus contractus & quadratus, aut non ita multùm oblõgus, ad omnem occasionem atq; euentum firmus, vtilis atq; tutus est.
35 Sæpe enim non contractis, sed dissipatis copijs, qui primi è montosis locis in campestres descendunt, animo hæsitãt ac perturbantur, atq; eos quos à tergo vident, hostes esse putant, vt ad confligendum cum suis quasi cum hostibus se preparent, atq; etiam ad manus conferendas & bellũm inferendum penè veniant.
36 Impedimenta vniuersa, operas, sarcinas, atq; omnem apparatum in medijs copijs collocato.
37 Si à tergo aliquam hostium incursionem vel videas vel metuas, eos qui à tergo sunt æquè firmos & paratos facito, atque eos qui in fronte collocati antegrediuntur, atq; ad ea quę vsu venire possunt æquè instructos.
38 Præmittes etiã ad loca exploranda equites quosdã, præsertim si syluosa sint, aut collibus aut montibus inclusa, per quæ transeundum est. Sæpe enim hostiũ latentes insidiæ, summam rerum labefactant & deijciunt.
39 Nam campestribus & planis locis, oculis omnia lustrare possunt. Et puluis magnus interdiu excitatus, aut ignes &

faces noctu accensæ, hostium sæpe aduentum produnt.

40 Si ad pugnam milites tuos producere volueris, duc eos interdiu solùm: sin celeriter contendere, & hostium expectationem anteuertere cupias, noctu quoque eos ducas, si id fieri tutò posse videbitur.

41 Ante belli tempus remissè ac pedetentim incedito: vbi hostes in cõspectum propè venerint, cum celeritate quadam instructis copijs in illos irruito: longa enim sæpe ante pugnam de bello cogitatio, fortium virorum animos languescere facit, & animi solicitudo vires corporis plerunq; absumit.

42 Angustas & difficiles in hostium regionibus vias si longæ admodum fuerint, tamen pedites facilè transire sine molestia possunt: de qua re paulò pòst loquemur.

43 Equites in hostili regione, messis potissimum tempore, incircumspectè temereq; vagari latius, nisi id necessitas requirat, minimè permittimus. Quòd si locus aliquis fuerit ad vnius miliaris longitudinem, in quo pedites ire possunt, descendant tum equites, & liberè pedibus eant.

44 Angusta & difficilia loca ea nomino,

no, quæ vnam tantam viam & transitum habent. Sin plures sint aut fieri poterunt, transitus satis bonus esse putandus est.

45 Si opportunè difficilia quædam atque angusta loca transijsti, per quæ tibi iterum redeundum est, si condensa & syluosa fuerint, & non immensę alicuius lõgitudinis, primò transitus tui, quoad eius fieri potest, cæde, purga, dilata locum: sin arduus præcepsq; locus fuerit, quiq; latior reddi non potest, præmitte aliquos, quemadmodum antè dictum est, ex peditibus, qui eum locum occupent, homines satis multos atq; idoneos, aut si vsus ferat, equites qui ad reditum tuum ea loca reseruent & custodiant. Vel si quando necessitas exigit, vtrunq; facias, id est, cæde, purga, & subsidia ibi idonea relinquito.

46 Qui iter per angusta loca cum tuldo, id est, impedimentis, vel aliqua cum præda faciunt, in duas partes siue acies se diuidant, & in alterum cornu acuminata deductione procedant. Acuminata autem deductio, id est, ὀρθία παραγωγὴ dicitur, cùm in fronte exilis paruaq; multitudo sint, dein latius ac latius se ad extremum agmẽ fundat, atq; ibi latissimè pateat. Hoc autem faciunt maximè, cùm

præda in manibus illorum eſt. Si pedites fuerint,facilius illis iter tranſitusq́; expeditior per ea loca erit. Sin equites,ex equis deſcendant, & medium tuldum, id eſt, impedimēta reliquumq́; apparatum in medio habeant.

47 Talibus in temporibus & locis diphalangia, id eſt, duplicata acie ex iuſto hominum numero, tum antè tum retrò quaſi ancipitis gladij acie inſtructa, ſi qui ſuperſint, ij ad tuldum ſiue impedimenta,& ad prædam,ſi quam habent,conſeruandam deligantur, ijq́; multi & boni aplicti,id eſt, rerum caſtrenſium cuſtodes quatuor in partib. duplicatæ aciei, quémadmodum locus poſtulat,collocentur,& ſequantur ea,vt repellant atq; abigāt eos, qui ad auferenda aut diſturbanda impedimenta inuadunt, vt integra minimeq́; perturbata ad cuſtodiam prædæ atq; impedimentorum collocata acies conſeruetur, neq; ab incurſoribus iſtis perſtringatur: fieri enim non poteſt, vt qui in diphalangia, id eſt, duplicata acie inſtructi ſunt, ſimul ordine conſeruato, impedimenta & prædam cuſtodiant, & cum hoſtibus dimicent. Quocirca quatuor in partibus collocare oportet homines,præter hanc diphalangiam,& à tergo potiſſimū, qui fortiſſimi ſunt, ſic enim facilè aſpera quæ-

quæuis atque auia loca transiri possunt.
48 Equitum, vbi descenderint & pedibus ambulauerint, equos, si pedites alij propè non adfuerint, longè ab illis in medio quodã loco separa, ne si propè essent, & inopinatus quidam timor subitò impenderet, ad equos ibi statim qui in acie iam sunt accurrerent: quæ res sine magna certè offensione fieri non posset.
49 Sin captiuos aut prædam aliquam abigant, & hostes eos persequantur, captiuos, vinctos, reliquamq; prædam illigatam in vnam aut duas partes diuides, & ante te hostibus obijcies, quà incursionem hostium fore putas, vt illis quasi scuto aut propugnaculo vsus, hostes iaculando abstineant: aut si id facere nolint, tamen captiuos & prædam potius feriant quàm milites.
50 Si necessitate aliqua, aut improuiso aliquo casu, vel angustijs inclusus vel aliqua perturbatione implicitus fueris, vnde teipsum sine aliquo ingenti periculo expedire non possis, melius est communi consensione, vel partem prędæ, vel totam etiam prædam hostib. dimittere, & securè sine damno discedere, potius quã prędæ causa in aliquod periculũ venire.
51 Sin hoc modo tecum ad pactionem venire noluerint, tum captiuos ipsos in

hostium conspectu trucidabis, atq; adeò vel in eo loco tibi permanẽdum, & regio vndiq; populanda vastandaq; est, vel saluti tuæ consulendum, & acie instructa de exitu & euasione cogitandum est.

52 Omnino hoc consilium in primis tibi sequendum est, ne exercitum aliquo admirabili atque inopinato labore in ijs angustijs, quæ potissimum aliquam longitudinem viæ habent, messis tempore propter syluæ densitatem exerceas, si hostes tum te perturbent, nisi si fortè prius vel illos repuleris, vel summa illius loci iuga milites tui occupauerint.

53 In equestri itinere & planis campestribusq; locis, antè & pòst equites ad speculandum constituendi sunt, atq; extra eos nullus peditum sit.

54 Castra, id est, aplicta prope illos sint, ne lõgum spatium si discesserint, pedites conspiciantur.

55 Currus peditum ordine quodam procedant, siue post singulas turmas, siue post singula contubernia: post dextrum cornu primò, deinde post sinistrum, tum post sinistrum medium, & deinceps post dextrum medium: neq; confusi aut permisti currus ambulent.

56 Si propè hostes fuerint, singuli armati arma gestent, neq; ea in curribus relin-

linquant, vt ſint ad prælium parati: & in periculoſis temporib. omnes res ita inſtructæ ſint, ac ſi in ipſa acie eſſent, vt ſi nec confusè nec inordinatè prodeāt, vbi acies inſtruenda ſit, in promptu atque in procinctu ſint.

57 Si multi hoſtium fuerint equites, & ij propè ad te accedant, ne propterea caſtra transferas, & nouum iter ante bellum commiſſum ſuſcipias, ſed tres aut quatuor dies ante conflictationē ipſam, caſtra in eo loco pone vbi pugnaturus es, & ibi tutò te ad illud tempus collocato.

58 Si incurſionem in hoſtilem terram cum peditatu facturus es, idq; per condenſa atq; anguſta loca, quamuis in eo loco pugna grauis futura ſit, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta, neq; multa arma tecum feras, vt loricia, id eſt, galeas, caſſides, clibania, id eſt, thoraces, ſed ſcuta ſcutati ſolùm habeant & contaria, id eſt, haſtas lōgas, & ſpathas, & tzicuria. Leues autem habeant ſcuta parua, rhictaria, iacula, tzicuria parua, & ſi quid aliud tale leue atq; expeditum eſt. Secures multas habere in ſagmarijs, id eſt, ſarcinis, ad omnem vſum paratas oportet.

59 Pedeſtrem ſcutatorum aciem non directè ſolùm in fronte collocabis, quē-

hostium conspectu trucidabis, atq; adeò vel in eo loco tibi permanẽdum, & regio vndiq; populanda vastandaq; est, vel saluti tuæ consulendum, & acie instructa de exitu & euasione cogitandum est.

52 Omnino hoc consilium in primis tibi sequendum est, ne exercitum aliquo admirabili atque inopinato labore in ijs angustijs, quæ potissimum aliquam longitudinem viæ habent, messis tempore propter syluæ densitatem exerceas, si hostes tum te perturbent, nisi si fortè prius vel illos repuleris, vel summa illius loci iuga milites tui occupauerint.

53 In equestri itinere & planis campestribusq; locis, antè & pòst equites ad speculandum constituendi sunt, atq; extra eos nullus peditum sit.

54 Castra, id est, aplicta prope illos sint, ne lõgum spatium si discesserint, pedites conspiciantur.

55 Currus peditum ordine quodam procedant, siue post singulas turmas, siue post singula contubernia: post dextrum cornu primò, deinde post sinistrum, tum post sinistrum medium, & deinceps post dextrum medium: neq; confusi aut permisti currus ambulent.

56 Si propè hostes fuerint, singuli armati arma gestent, neq; ea in curribus relin-

linquant, vt ſint ad prælium parati: & in periculoſis temporib. omnes res ita inſtructæ ſint, ac ſi in ipſa acie eſſent, vt ſi nec confusè nec inordinatè prodeāt, vbi acies inſtruenda ſit, in promptu atque in procinctu ſint.

57 Si multi hoſtium fuerint equites, & ij propè ad te accedant, ne propterea caſtra transferas, & nouum iter ante bellum commiſſum ſuſcipias, ſed tres aut quatuor dies ante conflictationē ipſam, caſtra in eo loco pone vbi pugnaturus es, & ibi tutò te ad illud tempus collocato.

58 Si incurſionem in hoſtilem terram cum peditatu facturus es, idq; per condenſa atq; anguſta loca, quamuis in eo loco pugna grauis futura ſit, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta, neq; multa arma tecum feras, vt loricia, id eſt, galeas, caſſides, clibania, id eſt, thoraces, ſed ſcuta ſcutati ſolùm habeant & contaria, id eſt, haſtas lõgas, & ſpathas, & tzicuria. Leues autem habeant ſcuta parua, rhictaria, iacula, tzicuria parua, & ſi quid aliud tale leue atq; expeditum eſt. Secures multas habere in ſagmarijs, id eſt, ſarcinis, ad omnem vſum paratas oportet.

59 Pedeſtrem ſcutatorum aciem non directè ſolùm in fronte collocabis, quē-

admodum in planis expositisq; locis,sed in duas aut quatuor partes diuides eos, id est, vnumquodq; contubernium ad duorum vel quatuor hominum altitudinem,pro ratione multitudinis tuę,& pro vsu præsente: partes autem istæ diuisæ,& à se separatæ, procedant ad vnius lapidis iactum.

60 Sin equites & tuldum siue impedimenta quoq; ibi affuerint,impedimenta statim post pedites locabis,deinde equites post impedimenta: à tergo equitum quidam scutati leues collocabuntur, ad extremas partes defendendas, aduersus omnes nec opinatas incursiones.

61 Leues alios emittes ex acie vsq; ad vnius signi numerum,cum paucis equitibus:alios ad latera hinc atq; illinc collocabis, ad peruidendum & explorandum, num aliquæ ibi insidiæ sint positæ, & ad arbores circumcirca tam idoneè cædendas,vt manibus,si quando tum vsus tulerit,in transitum hostium deiectę,aditu in angustijs atq; itinere illos prohibeant, & magnum negotium transgredi festinantibus facessant.

62 Ad hæc perlustrare cum leuibus & paucis equitibus,& hostiũ insidias,si quæ in via collocatę sint,repellere,& tum aciẽ instructam illac deducere oportet.

63 Vbi rariora & laxiora loca fuerint, equites & ſpeculatores anticipent: vbi condenſa & aſpera, tum pedites ea occupent.
64 Leues non in frontem directè, quémadmodũ ſcutatos, ſed per duos aut tres, aut quatuor leues iaculatores cum ſcutis ſuis locabis, vt tempore hoc deſiderante, tum protegere ſcutis, tum iaculari etiam poſſint: vnumq; ſagittarium ſinguli hi minuti manipuli habeant, quibus cęteri bene conſeruabuntur.
65 Tales drungos, id eſt, cohortes milliarias non vna in acie, vel directè duces, ſed ordine altius atq; altius incedent, vt tergora antegredientium ſequentes defendant. Quòd ſi contingat anterioribus, vt ab hoſtibus retardẽtur, & propter difficultatem loci admodum vexentur, tum iſti à tergo de improuiſo interuenientes, & altiore in loco quàm hoſtes ſunt poſiti, ſuis ſuccurrant. Neceſſe enim leuibus ſemper eſt, vt aduerſum inimicos altiora loca anticipent.
66 Leuibus etiam præcipies, vt longius ab acie quàm buccina exaudiri poteſt, ne diſcedant: auxilio enim deſtituti admodum premerentur.
67 Quatuor partibus in fronte ad eundum collocatis, ſi locus tam anguſtus ſit

vt per eum ita transire nequeãt, duas partes in diphalangiam conferes.

68 Sin ne duas quidem partes spacium loci capiat, tum vnam partem quasi integram aciem ad cornu procedere faciant, reliquis leuibus ita vti antè dixi collocatis.

69 Postquam angustias loci trãsierint, tum quemadmodũ antè fecerunt, in quatuor partes ad cornu, id est, anteriorem frontem procedant.

70 Si multitudo hostium aduentauerit vel antè vel ad latus, in quam partem videris hostes se velle conuertere, eam partem ad frontem, ad aciei initium deducito: hoc est, si ad læuam aciei appareant, hac summa parte aciei in ipsa acie cõsistente, moueant se reliquæ tres partes, & suis in locis ordinatè iuxta hãc partem semper instruantur.

71 Sin ad dextram venerint, eædem reliquæ partes vultus suos vertentes cõsistant.

72 Si ante medias partes siue vnam siue duas hostes venerint, vel in dextram partem declinantium, vel ad frontem venientium, reliquæ tum duæ partes venientes similiter instruantur, & acies in frontem obliquata fiet.

83 Si magnitudo loci permittat pedi-

ates

tes ſic hoſtes ſuos inuadere, vt equites quoq; hoſtes ſuos circundare poſſint, rectè eſt: ſin minus, hęc acies inſtructa denſataq; eat.

74 Armatorum ſiue ſcutatorum contubernia rara & alta facere oportet, vt obiectas arbores facilè tranſeant, & ſi opus fuerit denſari poſſint.

75 Si locus eos nō capiet, vniuerſa tum acies inſtructa conſiſtet, & leues quidam aduerſus hoſtes procedent, & adiumento illis erunt ſcutati aliquot atq; equites qui proximè fuerint.

76 Præcipies autem, quando aduentātibus, quemadmodum ferè fit, clamor fieri ſolet, ne tum miſceant ſe milites, & ad illam occurrant partem, ſed ſcutati ſuam teneant ſtationem, leues autem contra clamantem hoſtem excurrant. Neq; tamen qui in anteriore parte ſunt, ad latera decurrant, neq; qui in lateribus ſunt, ad cornua contendant, ſine pręfectorum imperio: ſed vnumquodq; latus ſuis, hoc clamoris tempore, ſi vſus ſic ferat, ſuccurrat, vt ſi premantur, ad ſcutatorum aciem ſe referant, ne ab hoſtibus lædantur.

77 Tuta igitur peditum & idonea itinera eſſe poſſunt, ſi, vt prędiximus, in cōdenſis aſperisq; locis ad cornu, id eſt, ad longitudinem quandam anguſtiorem in-

ſtruantur, ſiue quatuor partes, ſiue duas ſolas loci amplitudo capiat: in laxioribus autem & magis ſpatioſis locis, ad frontem acie in latum porrecta, & laxioribus latitudine contubernijs, altitudine denſioribus.

78 Illud pro certo teneas, in condenſis locis eos qui rhictaria ſiue menaula, id eſt, iacula lõgiora manu conijciũt, magis neceſſarios eſſe ſagittarijs aut funditoribus, atq; ideo multi leues exercẽdi ad hęc tela ſiue iacula manu conijcienda ſunt.

79 Sagittarij in acie inſtructa præſtabiliores ſunt, & in aſperis, arduis, anguſtis atq; expoſitis in locis.

80 Iaculatores extra aciem inſtructam, in condenſis locis vtiliſſimi ſunt. Atq; hęc in itineribus faciendis diligenter obſeruanda ſunt.

81 Priuſquam omnes caſtra poſuerint, aciem neq; pedeſtrem neq; equeſtrem diſſoluas, neq; priuſquam foſſatum vndiq; munitũ ſit, & ſpeculatores exierint.

82 Præcipies aũt vt perfectè cognoſcãt buccinæ ſonũ, vt vbi cõſiſtere eos iubet, conſiſtant: & vbi alia buccina procedere eos imperat, procedant. Ad hunc igitur modũ de itinere exercitus faciendo diſputatũ ſit. Reſtat vt de tuldo ſiue impedimentis pauca diſſeramus.

DE

## *De tuldo, id est, impedimentis, Caput X.*

TVldi siue impedimentorum cura tibi suscipienda est : neque enim emerè aut fortuitò disijcienda sunt, sed bicunq; relinquuntur, in tuto sunt col- ocanda.

Neq; rursum in bello incircunspectè ucatur: persæpe enim militum admini- ri, persæpe liberi atq; cognati, quos cha os habent, cum tuldo sunt. Quod nisi in ato sit, anxietate animorum sępe vexan- ur milites, & solicitudine in diuersas par es distrahuntur.

Vnicuiq; enim prudenti viro præter uum ipsius damnum, dolori est etiam nimici prosperitas Itaq; cùm suum ip- ius damnum oculis intuetur, vel omni- o bello abstinet, vel ad pugnandum lan- uidior fit.

. In primis autem congregato tuldo, publico iam prælio imminente, mul- itudinem palicariorum, id est, eorū qui ræfectis & militibus operam dant, eò leducere non consulo, neq; in sua terra ello expectato, neq; in aliena : sed pau- i sint, ijque quantum fieri potest firmi- ter muniti.

Totidem autem retineas, quot ad fin-

gula contubernia adminiſtranda & iumenta gubernanda ſatis ſint. Id fiet tum ad varietatem illorum cognoſcendam, tum ad acierum rationem percipiēdam, ne iumenta perturbatè confuſa, ſumptus importunos & perturbationes varias adferant.

6 Hos tempore prælij, ſi pedeſtris acies non adfuerit, ac reliquos qui ad tuldi cuſtodiam conſtituuntur, cum ea oportet relinquere, ſiue in ſua, ſiue in aliena terra bellum geratur. Tutiſſimū autem eſt hos in bello eſſe, quemadmodum poſtea dicemus vbi de aplicto, id eſt, caſtris, verba facimus.

7 Ipſa autem ſagmaria, id eſt, ſarcinas reliquosq; apparatus, quæ andreſta vocant, cum ipſo tuldo relinques.

8 In incurſionibus reliquisq; inuaſionibus hæc teneant ſecum milites, & vſq; ad diem ipſum belli committendi bene munita habeant ac roborata.

9 Ipſo conflictationis tempore andreſtum, id eſt, apparatum propè habere minimè neceſſarium eſt, ſed in foſſato ſiue caſtris relinquatur. Perſæpe enim tumultu aliquo facto, animis concidunt, ſi pauca palicaria, id eſt, pauci ex adminiſtris capti fuerint.

10 Sin pedeſtris acies adfuerit ſiue in regio-

regione tua, siue in intercapedine inter tuam & hostilem terram, vbi bellum sine vlla dilatione aut intermissione futurum est, ad aliquem firmum locum, vbi & pastiones & aquæ futuræ sunt, triginta aut quinquaginta millibus ab eo loco inutile tuldum & superfluum relinquito, & superuacanea iumenta reliquaq; arma quę ipso belli tempore vtilia non erunt, omnia traduces.

11 Quosdam in medio interuallo tuldi & prælij collocabis, homines notos omnibus, neque obscuros, neq; sceleratos, eosq; in media via instrues. Illos præfecto tuldi (semper enim peculiarem aliquem præfectum habere debent) ostendes qui sint, vt in belli exitu significari illi possint, vtrúm ne manendum in illo loco, an ad aliquem munitiorem locũ procedendum, an potius ad exercitum commigrandum illis sit.

12 Proficiscentes ad prælium à tuldo sagmaria auferant, & sagmam duplicem, aut duplicem tentam, id est, duplex tentorium, alterum quidem pro integumẽto, si vsus ferat, alterum pro tenta siue camarda habeant.

13 Commeatus paxamadij siue biscocti, aut alterius cuiusquam expeditæ rei habeas viginti aut triginta libras, & tum

castra ponas quocunq; volueris loco & fossato, quando ad præliandum cum hostibus contendunt.

14 Fossatum vel lapidum vel laterũ aggere etiam munias, quanquam ad vnum solum diem ibi commoraturus es.

15 Vnumquodque bandum, id est, cohors, fœnum aut paleas vnius diei secum circunferant, vt si, quod vsu venire potest, aliqua offensio belli contingat, si vel redeat exercitus ab eo loco, vel ibi permaneat, habeat tamen iumentis suis vnius diei pabulum: neq; in tanto belli ardore vel ad pastionem ire, vel fœnum secare, quibus rebus lædi ab hostibus possent, vel vagari & circuncursare ad pabulum comparandum, hostibus iam imminentibus, vel discedere iam, in tanta hominũ iumentorũq; fame & miseria, atque adeo interire cogantur.

16 Si discedat exercitus tuus, nulliusque rei indigeat, exures fœnum, omnesque fruges agrorum, & sic proficisceris, propter hostes, qui post te venturi timentur.

17 In omni itinere, hostibus imminentibus, in medio exercitus tui tuldum habeas, ne si aliquò reijciuntur, ab hostibus inuadantur.

18 In itinere, quemadmodũ suprà præscri-

simus, non confusè milites & permiſtum tuldo ambulent, ſed diſtinctè & ſeparatim, vt poſt turmam ſuam tuldum a viris ad id conſtitutis, quos euplictos nominant, ſeorſim procedat.

Habeat autem tuldum, quemadmodum antè memorauimus, ſeparatum aliquem præfectũ, qui vniuerſum illud gubernet & dirigat in omnes partes: ante vniuerſum exercitum, ſi ex hoſtili terra diſcedis: poſt vniuerſas copias, ſi hoſtilẽ regionem inuadis: hinc aut illinc, ſi alicui lateribus times: in medio, ſi omnia tibi vndiquè ſuſpecta ſint. Atq; hęc de tuldo ſiue impedimentis, paucis tibi explicauimus, ſiue in curribus inter pedites, ſiue in ſarcinis inter equites, ſiue aliqua quapiam præparatione in permiſta turba, vt nulla ex parte, quoad eius fieri potuit, aliquid abeſſet. Reſtat iam vt de aplictorũ, id eſt, caſtrorum forma diſputemus.

## *De aplictis, id eſt, caſtris.*
## *Caput XI.*

APlicta igitur ſiue foſſata (nã aplictũ propriè foſſatũ totius exercitus eſt) validè quantum potes munies. Si in locis ſpatioſis laxisq; commodè caſtra ponere potueris, ita facias: ſin minus,

non negligenter,ſed ſedulò & firmiter & densè caſtra pones. Illa autem loca in primis fugies, quæ aliquid propè celſius ác eminẽtius habent,ne illud inimici noctu & confertim anticipantes,multa mala vobis ex eo loco inferant.

2 Quando hoſtili in terra caſtra ponis, circunda tuos trapho, id eſt,foſſa, quanquam ad vnum diem ibi ſolum permanſurus es: ſecura enim huiuſmodi caſtra ſunt, & aduerſus omnes nec opinatas & ſubitas hoſtium incurſiones tuta. Cuſtodias etiam adhibebis, quaſi hoſtes propè adſint, quanquam longè eos abeſſe noueris.

3 Vbi diuturna caſtra vno aliquo in loco poſiturus es,nõ hoſtium incurſionem timens,ſed illorum regionem populaturus, loca eliges non condenſa, cœnoſa, paludoſa,aut ſtagnis abundantia: huiuſmodi enim halitum emittunt inſalubrẽ, & odores graues ad gignendum morbos idoneos: multas enim ægritudines & ardentes peſtes inferunt,& ſępe exercitum grauiter vexant, ſæpe etiam vniuerſum delent,vt non paruus ex eo & debilis,ſed etiam conſumptus & nullus fiat.

4 Vtile & ſalutare exercitui eſt, in eodem loco diu non conſiſtere,niſi ſi hyberna faciant: atq; ea tum ad ciuitatis formã mu-

niant. Nam excretiones fæculentæ porum in eiſdem ſemper locis factæ, rauatos halitus expirant, & omnem is ſalubritatem in inſalubritatẽ transunt.

Hybernis in omnibus, quemadmom ſuprà admonuimus, copias tuas ad ntentiones bellicas & militares labos exerce, vt ijs aſſuefacti, ocium ac deiam, peſtem ac labem exercitus, deitent.

Neq; verò caſtrorum ſalubrium ſoùm ſuſcipienda cura eſt, cùm ſecurus ab oſtibus es, ſed etiam vt omnium rerum neceſſariarũ affluentiam habeant, idque potiſſimum in expedito, id eſt, eo tempore quo omnes milites in vnum conueniunt, vbi diutius commorandum eſt.

7 Prouidebis etiam mercatoribus, ne illi iniurioſius tractati, rerum neceſſariarum inuectionem prætermittant. Sin aliquis metus hoſtium impendeat, muniãtur caſtra vel foſſis, vel palis, vel integris foſſis, vel tribulis, id eſt, muricibus, vel ædificijs ſiue ex ligno, ſiue ex lapide, aut alia quauis materia confectis, quemadmodum excogitare poteris.

8 Speculatores foris collocandi ſunt, & currus omnes ad vallum faciendum congregabis. Vallabis autem caſtra pro co-

piarum ratione, vel laxius vel densius, ex lignicis integris, aut ex cæsis arboribus.
9 Tuta & munita castra semper esse oportet, nisi in nostra regione vel exercitationis causa, vel alterius alicuius necessitatis gratia castra mouentur.
10 Procurabis etiam, ne vicinæ regiones quę sub nostro imperio sunt, aliquod damnum accipiant, in primis autem vt agricolæ sine offensione conseruentur. Duæ enim hæ artes maximè vtiles esse videntur ad reipublicæ constitutionem & conseruationem: Agricultura, quæ colat & nutriat milites: militia, quæ defendit & propugnat agricolas. reliquæ verò artes istis inferiores esse videntur, atque ideo necesse est istã prouidere, & illorũ curã nõ abijcere, vt milites iustè ab illis nutriti strenuè se gerãt, & agricolę honestè tractati bonis votis illos prosequantur.
11 Hostibus imminentibus & expectato iam bello, si anticipatis hostibus castra feceris, duorum aut trium dierum pabulum, siue fœnũ, siue paleam, siue hordeũ, pro iumẽtis tuis prę manu habeas, quem admodũ tibi in capite de Itinere exercitus explicaui. Sin illinc ad alia castra trãsire volueris, vnius saltem diei commeatum eò tecum paleam aut fœnum feras, & in castris reponas, ne fortè pueri admi-

niſtri vi ab hoſtibus detineâtur, & eo die prohibeantur vel pabulum colligere, vel iumenta ad paſtum ducere.

12 Si admodum propè hoſtes fuerint, non abſurdum erit ſingulos milites inter eundum pabulum colligere, quia caſtris iam poſitis, ſi multi ex hoſtibus equites fuerint, pueri adminiſtri exitu, & fœni pabuliq; ſectione prohibebuntur.

13 Par eſt in caſus aduerſos ſæpe intueri, & quæ inde perturbationes oriri poſſunt conſiderare, atq; eas prudentia anticipare, ne poſtea te horũ pœniteat: maximeq; de cõmeatu & pabulo militũ & iumentorum laborabis, & caſtra munita pones idoneis in locis, vbi ſi quando res id exigat, vel aqua fluuij, aut locus arduus, aut alia firma munitio, defendere foſſatũ temporibus neceſſarijs poſſit.

14 Difficultas temporis ſi quæ pedeſtri aciei contingat, carris & plauſtris eorum caſtra circumcirca quaſi vallo defendes, ſiue pedeſtri aciei ſiue equeſtri ſiue permiſtæ contingat: & circùm exædificabis pro loci ratione, quemadmodum à me ſuprà eſt dictum: & exterius foſſam duces ad latitudinem quinq; pedũ aut ſex, ad altitudinem autem ſeptem aut octo pedum, & aggerẽ foſſæ interius cõijcies, & extra hãc foſſam tribulos & foueas par-

uas palis infixis facies, quæ ab exercitu vniuerso cognoscendæ sunt, ne illorum ignoratione lædantur.

15 Ambitus fossati siue castrorum quatuor portas maiores & publicas habeat, portulas autem paruas præterea complures. Iuxta vnamquanq; portam, id est, egressum, præfectus aliquis castra ponat ad eius custodiam. Interius autem iuxta ipsos carros leuium, id est, iaculatorum & sagittariorum simplices tentas siue tentoria ponas, & à curribus trecētorum aut quadringentorum pedum interuallo distantes, tumq; reliquæ ita constituantur tentę, id est, tentoria, vt dum hostes sagittas iaciunt, minus in medio collocatæ tentæ feriantur, sed opportuno in loco sagittæ cadant.

16 In medio castrorum platea strata sit ad crucis formam transuersa, quadraginta aut quinquaginta pedum latitudine, & hinc atq; illinc tētas & castra, serie quadam & ordine compituum à se distantia ponantur. Vnusquisque autem turmæ præfectus in medio suorū castra habeat.

17 Tu verò Imperator, vna aliqua ex parte, & non in media platea castra habeas, ne aliorum itinera & transitum impedias, tuque ipse à transeuntibus perturbere. Equites, si opportunitas id ferat,

n medijs caſtris, & non in extremis itues.

Aptiſſimos quoſq; comites cum ſuis rtibus ad portas foſſati collocabis, ſt veſpertinas miſſas nemo audeat er exercitus voluntatem niſi dato ſi- ngredi, aut è foſſato egredi.

Nocturnæ equitum excubiæ intus fiant. Vnuſquiſq; turmarcha ſuum latorem ad imperatoris cohortem idet, vt ibi permaneat. Similiter garij, id eſt, tribuni & comites ad tur harum caſtra ſuos mittãt, vt per eos iter cognoſcant quæ agenda ſint.

Habeas tecum, ô Imperator, bucci- res tum maiorum buccinarum tum orum, & conſueta buccina veſperi nte, deſinant laboribus, & vbi cœna- nt, τρισάγιον, id eſt, ter ſanctum hym- n canant.

Quoſdam etiam ſingulares viros ſi- s conſtitues vt excubias perluſtrent, mnibus præcipiant ſilentium, vt ne nine quiſquam ſocium ſuum appel- audeat: multa enim ex ſilentio bona ficiſcuntur. Perſæpe enim ad hunc dum hoſtium ſpeculatores deprehẽſi xercitu atque adeo capti ſunt, quem- nodum contrà ex clamore & tumul- nulta ſæpe mala exiſtunt.

22 Prohibeas etiam horrêſeis & maximè nocturnas,& ſi quid aliud ludicrū eſt, quæ non ſolùm indecoras & tumultuoſas ordinis perturbationes faciunt,ſed etiam labores inutiles præbent.

23 Si exercitum à caſtris ad alia caſtra transferre cupis,idq; clam hoſtes facere, vel locum aliquem firmum hoſtibus præripere ſtudes, aut loca quædā fugis propter offenſiones quæ ab hoſtibus oriri poſſunt,& in neceſſitatem præliandi venire nolueris, ignes multos facito, & diſcede: hoſtes enim hos ignes ſi cernant, arbitrabuntur te in caſtris eſſe,ſicq;quod cupis efficies.

24 Hoc Nicephorum copiarum noſtrarum imperatorem,quando in Syriam ingenti cum exercitu à nobis miſſus eſt,feciſſe nouimus. Nam cùm magnam prædam in media hoſtili terra feciſſet, hoſtibus permultis aduerſus eum congregatis,quos Apulpher Eunuchus Saracenorum & barbaricarum copiarum imperator coëgerat,tamen ad hunc modum populata hoſtili terra, captiuos ſuos reliquamq; prædam integram abduxit.

25 Aduerſum Bulgarorum expeditionem tale aliquid ab eodem excogitatum eſt,quod nequaquam obliuioni mandandum eſt: ſimul enim ad vecturam expeditum,

ditum,& ad custodiam necessarium fuisse aduertebatur. Radios duos, quæ canonia vocant, æquales, trium dodrantium aut paulò amplius lõgitudine, ad formam Λ, id est, lambda literæ iungebat: alterum autem radium siue canonion quinq; aut sex dodrantium longitudine, menauli, id est, iaculi instar ad bipes illud adiungens, tripes facit, firmatis inter se in iungendo pedibus. In summo autem illo quasi menaulo cuspis quædam magna & ampla iniecta est è tripode eminens duos dodrantes aut paulò amplius. Itaq; ligneos istos tribulos siue murices quando volebat contrahens, & quando volebat iterũ coniungens, ad munitionem simul & arma in necessarijs temporibus habebat, si quando hostium equites in castra nostra irruptionem atq; impressionem facere moliebãtur, qui hoc quasi vallo impedirentur, sæpe & vulnerabantur inuadentes, cùm facile tolli, gestari & defigi possit. Sæpe autem quando fossa non ducebatur, hęc tamen arma ad incolumitatem parata semper habebat.

26 Quando autem securè & sine timore castra moues, mandata pridie vesperi mãdatori danda sunt, rursumq; post lucem diei quo castra mouentur, buccinam ter significare hoc oportet, omnesq;

ordine atque instructa acie procedant, ac primò graues, deinde currus, & si quid aliud ad militarem vsum vehi oportet.

27 Tribulorum, id est, muricum vsus in castris pernecessarius est. Si enim vel saxosus locus fuerit, vel fodere nō potuerint, vel tempore destituantur, eundem in castris ponendis vsum tribuli idoneè collocati afferunt, quem & fossa ipsa apportat.

28 Diuersos situs & formas fossatorum antiqui tradiderunt in castris ponendis: laudabilis autem quadrata atque oblonga est, tum quia ordinata, tum quia necessaria est.

29 Ad splendorem & pompam exercitus venditandam, magis valent obliqua & ad altitudinem spectantia castra, maioremq; numerum castrorum, quàm plana & æqualia loca, præ se ferunt. Si igitur aliqua pompa opus sit, obliqua ac decliuia loca eligantur, tumque potissimum cùm commeatum idoneum habent ad omnes necessarios vsus.

30 Inæqualia, vt diximus, loca eligātur ad castra ponenda: neq; longo tempore vno in loco permaneant, nisi propter cœli tenuitatem & puritatem, & propter necessarium commeatum, aut aliqua quæpiam necessitas detineat.

Alui

31 Alui naturęq; onera nequaquam intra castrorum ambitum deponenda sunt, sed foris, propter odoris grauitatem, si diutius vno in loco commorandum sit.

32 Necessarijs temporibus breuem aut exiguum riuulum intra ambitum castrorum recipies, ea parte qua permeabilis est exercitui.

33 Sin magnus atq; asper fluuius fuerit, ad latus castrorum iungatur, vt pro vallo castris sit.

34 Mediocri fluuio præterlabente, superiorem partem versus equi aquatum ducendi non sunt, ne aqua pedibus turbata cœnosa ac lutulenta fiat, sed ad inferiorem partem adducendi sunt.

35 Si exiguus fuerit fluuius, vasis educant aquam, neq; equos in fluuium admittant, propter aquæ turbulentiam.

36 Prope collem aliquem, quem hostes conscendere possent, castra ne ponas, ne fortè occupato eo loco, hostes sagittis te opprimant.

37 Si propè hostes non adfuerint, sed longi itineris viam abfuerint, castra propter fluuium ne ponas, equitū in primis, ne iumēta copiosæ aquationi assuefacta, alio tempore defecta potu, quando sustinere sitim debent, non possint.

38 Pedites intra castrorum ambitum

cum equitibus requiescere non oportet, si hostes longè abfuerint, sed extrà & separatim prope castra, vt neq; nimijs angustijs premantur, neq; à speculatoribus facilè numerentur. Sed paucos ante dies quàm hostes accedant, explorandum est quantum spacij capiant, & quemadmodum intra vallum castra ponant, si quando opus fuerit vt cum equitibus simul castra habeant.

39 Sin hostes immineant, peruidēdum est ne cùm eodem in ambitu castra ponant, confusè equites cum peditibus, sed separatim ac distinctè consideant.

40 Belli tempore firmis in locis castra ponas, & cura tibi commeatus rerumq; necessariarū suscipienda est, vt tum homines tum iumenta paucorum dierum commeatum, propter ancipitem belli euentum, habeant. Maximè autem prospiciendum est, vt in primis aquam obtineas, & ab hostibus defendas, qua illi interdum egebunt.

41 Si cāpus est in quo conflictatio belli futura est, à tergo vel fluuium vel lacū habeas, aut aliquam firmam munitionem.

42 Fossatum, id est, castrorum ambitum munitum facias, & satis multos ibi instructos milites relinquas, vt ne si hostiū dux castris tuis insidietur, eos qui in castris

sunt

ſunt omnes interficiat. Currus autem tui aciem ſequantur.

43 Si fortis fuerit locus atq; inæqualis, caragum, id eſt, vecturam, reliquaq; impe dimenta atq; apparatum in foſſato cum paucis quibuſdam viris curulibus ad illorum cuſtodiam relinques. Acies autem inſtructa idoneo in loco prope foſſatum collocetur.

44 Si loca difficultate atque aſperitate munita, & hoſtes maxima ex parte equites fuerint, ad defenſionem & propugnationem vecturę ac impedimentorum ipſa lóci natura ſatis erit. Si enim currus talibus in locis ſequerentur, vtiles inſtructæ aciei non eſſent, ſed perturbatiores eſſe reperirentur.

45 Obſeruabis etiam boues diligẽter, vt aciem ſicubi ſequãtur, vbi opus eſt cõſiſtere poſſint, ne tumultu inĩmicorum & ſagittarum iaculorumq; cõiectione exagitati, eam impediant & perturbent. Sed vel pedicas vel vincula inijcies, ne ſagittis aliqui vulnerati pedites perturbent. Itaque ne prope quidem pedites in acie admoueantur.

46 Si alicui loco ab hoſtibus oppugnato ſuccurrendum eſt, anticipandus aliquis locus cum celeritate eſt. ſed vt currus tardius procedentes impedimento

illis maturantibus nullo ſint, relinquendi cum reliquis impedimentis in aliquo loco munito ſunt. Capiendi pedites, capiendusq; illorum commeatus eſt, ſi id vſus exigat, & vehendus cum illis, vel ſagmarijs, id eſt, ſarcinis, vel equis ad hoc paratis. Capiendi etiam tribuli, id eſt, murices ſunt, ſicq; cum exercitu diſcedant.
47 Tum enim ſi tempus aliquod ad caſtra ponenda fuerit, foſſa opportunè ducta, & tribulis ordine poſitis, vel ædificatione aliqua intus adhibita, vel vallo ex lignis confecto, æquè firmam munitionem foſſatum habebit, ac ſi carago munitum fuiſſet. Caragum autem appellamus currus, qui ad munitionem foſſati adhibentur.
49 Sin ita accidat, vt plures equites, pauciores pedites ſint, decretumq; fuerit omnia impedimenta in foſſato vt permanerent, nullo modo pedites vniuerſi intra foſſatum ſe contineant, ſed quidam intus foſſatum cuſtodiant, quidam foris ante portas & foſſas caſtrorum inſtructi ſtent, vt ſi contingat equitum fugam fieri, pedites domi illorum copias recipiãt, & ſecuritatem aliquam illis afferant, vel vt aduerſus hoſtes iterum ſe vertant, vel ordinatè in caſtra diſcedant, neq; in ingreſſu portarum periclitentur aut adffigantur.
Præ-

50 Præfectis tuis hoc omnino præcipiendum eſt, vt de hybernis procurandis nonnihil laborēt, quotq́; & quibus equis aut armis milites ſui egeant, per turmarchas tibi ſignificetur, vt idoneo tempore & tu hæc præpares, & milites recipiant. Maximè autem rei ſagittariæ & diligentiſſimè prouidebis, vt qui domi immunes à militia fuerint, arcus & arma ſagittaria parent. Hæc enim vna res contempta, ſicuti ſuprà diximus, permagnas vniuerſo exercitui Romano offenſiones attulit. Atque hæc de aplictis ſiue caſtris à nobis dicta ſint: reſtat vt de præparatione ad bellum, ante vnum aut alterum diē, aut plures etiam, quemadmodum opportunitas id feret, iam nunc præcipiamus, quas res ſuſcipere, à quibus abſtinere debeas, & quæ præfectis tuis militibuſq́; præcipienda ſint.

## *De præparatione ad bellum. Caput XII.*

BElli timore iam imminente, vniuerſum exercitum vnum in locum coges: non tamen in vnam aciem omnes copias tuas, ſi multæ copioſæq́; fuerint, inſtrues, ne propter numeri multitudinem aciem perturbent, & propter vaſtam eius

magnitudinem minus obedire imperatis tuis possint: sed superuacaneum numerum diuide, & secundam aciem ex eo instrue.

2 Qui enim vniuersis equitũ copijs pugnat, & vnam in aciem aduersus hostes omnem exercitum confert, neq; in aduersos belli atq; ancipites casus intuetur, neq; procurat quemadmodum alijs copijs, si quid accidat, pugnare cum hoste possit, hic vir mihi videtur admodum imperitus rerum esse, & in manifestum discrimen seipsum conijcere.

3 Neq; enim numero hominum, neq; importuna audacia, neq; sola conflictatione ipsa bella conficiuntur, sed secundum voluntatem Dei, arte bellica & imperatorijs factis & consilijs bene administratis, cum quadam exercitus alacritate, bella prosperè succedere solent.

4 Prudentia autem ac moribus hæc fiunt, tamen pro ratione temporis, vt diei, noctis, hyemis, serenitatis: vel pro locorum situ, vt insidiarum, angustiarum, subitarum incursionum: vel pro rerum aliarum multarum ratione occurratur hostibus, vt præter commune & publicum bellum, alia ad victoriam consequendam instituas. Hoc enim admodum salutare ac necessarium est, vt intelligentia, pruden-

tia, magnitudine animi, arte militari hostes tuos superes.

5 Atq; hæc quidem prudentia factisq; imperatorijs præstabis. Scienter autem bellum geres, si idonea cum acie exercitum variè ac tutò diuiseris aut coniunxeris, ac ordine quodam militari hoc feceris, atq; in hostes inuaseris.

6 Neq; verò teipsum solum ab hostium dolis incursionibus, consilijs tutum cõseruabis, sed etiam aliquas aduersus eos machinationes serues. Vnde & maiores nostri hoc quasi vtile obseruabant, nempe ordinis conseruationem. Ac ideo exercitum in turmas, drungos, id est, cohortes milliarias, tagmata siue cohortes, centurias, contubernia, ac reliquas partes ad vsum bellicum idoneas partiebantur atque instruebant.

7 Neq; enim par est in vnam solùm aciem omnes copias conferre, neq; in vno momento dijudicationem & administrationem tantę equitũ multitudinis ponere, præsertim cùm tibi permagna militũ multitudo adfuerit. Si aũt quemadmodũ vsus fuerit, & tibi commodissimum videbitur, exercitum instruxeris, res varias ac diuersas bene administrabis.

7 Multos autem & varios aduersos casus videmus contingere, quando in v...

aciem vniuersas copias quis cogit, in primis autem eos qui contaria, siue hastas gerunt: nam cùm ingens numerus sit eorum qui in exercitu sunt, magnum interuallum spacij occupabunt.

Deinde cùm multa occurrant inæqualia loca, inæqualem quoq; & haud morigeram aciem, nempe vastam esse oportet, partesque eius minimè inter se conspirare, atque adeo ante pugnam incœptam, perturbatam & dissipabilem inueniemus.

9 Quòd si hostibus hoc contingat, vt longitudinem aciei nostræ superent, id est, ad nos circuncludendos subitò ad cornu irruant, acies reliqua quæ à tergo & lateribus est præsidio destituta, nemine iam aciem subleuante, necessariò ad internecionem venit.

10 Prælio iam commisso, propter longitudinem aciei videmus sæpe comites cum suis bandis siue cohortibus aciem occultè deserere: quæ res cæteris omnibus occasionem adfert miserabiliter fugiendi. Versis enim in fugam illis, nulla intermissio fugiendi, nulla spes reuocandi est. Nemo enim eos à fugiendo repellere, aut ad stationem reducere potest iam ad fugam incitatos.

11 Si verò feliciter se bellum gesturos

pu-

putant qui vnam in aciem se instruunt,& ante se in prælio repulsuros hostes existimant, vbi vniuersa acies dissipatur, & omni impetu fugientes hostes insequitur, si contingat eos iterum se aduersus copias tuas dissipatas vertere, aut copias alias subitò ex insidijs interuenire, nulla causa est quin qui insequebantur statim diffugiant, cùm nullos in promptu habeant qui hos de improuiso interuenientes repellere aut refutare possint.

12 Vnum autem, idq; solum subsidium habere eos existimo, qui vniuersas copias vnam in aciem conferunt, vt inimicis videantur eminus perfectæ atq; ingentes copiæ esse. At hæc res speciem solùm vtilitatis habet, vtilitatem autem nullam continet.

13 Alterum autem subsidium est, quòd vna hac instructa acie, ad circumfundendos atque intercludendos hostes aptiores erunt, si id artificio quodam & cum decoro fiat.

14 Duplicem instruere aciem, vt vna alteri subsidio esse possit, quantum humano iudicio percipi potest, multa & magna & pręclara bona in se continet. Ac primum sanè est, quòd prima acies cùm alteram à tergo subsidiariam habet, fortius atq; alacrius cum hostibus dimicat.

Deinde extremæ oræ tum dextræ tum sinistræ, latronibus siue lateranis defensæ, maiore cum animo ac cupiditate bella gerunt. Maximum autem subsidiũ est, quòd secunda acie à tergo instructa, qui in prima acie stationem suam deserunt, in fugam non vertuntur, veriti secundam aciem, & suspicionem ignauiæ timentes: hoc enim magnam vtilitatem in bello adfert.

15 Prima acie, quemadmodum sępe vsu venit, profligata, secunda acies sæpe prę-sidio illis perfugioq; est, vnde rursus adiuti reuocatiq;, aduersus irruentes hostes iterum se couertunt.

16 Atque etiam quando qui in prima acie sunt hostes suos strenuè atq; alacriter persequuntur, si, quod fieri solet, vertant se iterum hostes, aut aliunde subitò noui hostes interuenerint, secunda acies occurrens, primam aciem congregat & conseruat.

17 Sed, quod absit, si prima acies protinus repellatur, neque reuocari ad pugnandum cum hostibus poterit, secunda acies confestim instructa adest, quæ secundum prelium iterum ineat, & de summa rerum etiam decertet, prima acie vniuersa fusa.

18 Necesse est enim aciem hostium,

post

post bellum iam commissum & confertas manus, dissipatam atq; aliquantulum inordinatam esse, secũda acie nostra adhuc integra atq; ordinata, quæ certè ad victoriam magna prędidia habet, cùm instructa & perfecta aduersus confusam & perturbatam hominum multitudinem dimicet.

19 Neque verò solùm necessaria est copiarum nostrarum in duas acies diuisio, quando pares atq; æquales nostræ atq; hostium copiæ inter se fuerint, sed tum in primis cùm maiores ac plures nostris ipsorum copiæ fuerint.

20 Sin quis dicat: Quęnam tandem huius secundæ aciei vtilitas esse potest? prima enim acie fusa & repulsa, secunda acies facilè tergiuersatur, & in fugam se dat. Is secum hoc modo cogitet: Si duabus aciebus instructis bellum lubricum atq; anceps fuerit, quidnam quis existimare debet vna solùm acie apparata futurum, cùm præsertim hac reiecta nihil habeat quo iuuare se atq; recreare possit?

21 Sin iterum obijciat, copias has in duas acies diuisas, longiores & tenuiores iustò esse: intelligat ijs duabus hoc effectum iri, vt cùm moderata magnitudine sint, & prope se adiũgantur, nulli à pręlio separati, sed formæ acierũ mutatæ sint, &

frontem versùs, alterum retrò locantes, vtramq; aciem maiorem firmioremq; reddimus.

22 Propterea autem par est equestres copias, siue maiores siue minores sint, in plures diuersasque partes diuidere, quia necesse est ex certa quadam definitaque [illegible] omnia instruere, cùm aduersus hostes [illegible], qui in bello tum [illegible], tum ordinem bellicum obseruant.

23 Si poteris, nulla ratione bellum geras cum hostium plures copias esse intelliges. Primo cognoscendæ diligenter hostium copiæ sunt, tum bellum statim inferendum est.

24 Si pedestrem habeas exercitum, huiusmodi aciem instrues, qualem tibi statim explicabimus in acie pedestri & acie mixta equitum ac peditū instruenda.

25 Sin soli equites fuerint, & aduersus equites bellum suscipiendum est, in tres equestres acies vniuersum diuides exercitum.

26 Primam aciem quæ πρόμαχος, id est, propugnatrix dicitur, in tres partes diuides, vnaquaque parte siue turma in tres [illegible] siue drungos, id est, cohortes militares diuisa: in media autem parte siue turma ὑποστράτηγον, id est, principem siue

siue propraetorem tuum: in dextra sinistraq; parte, turmarchas suos, in medio drungariorum aut μοιράρχων, id est, tribunorum collocabis.

27 Has tres turmas constitues ex ijs qui ad incursiones valent, quos cursores & proclastas nominant: & ex his qui cursores excipiunt iterum à cursu redeuntes, atq; eos defendunt, quos defensores appellant: vt vniuscuiusq; turmæ tertia pars cursores sint, duæ reliquæ partes in medio exercitus defensores sint, qui istos cursores vindicent & defendant.

28 Primam aciem sic instrues. Ad sinistram partem, quam maximè & facillimè circumuenire hostes solent, duas aut tres cohortes eiusdem partis, vt sint πλαγιοφύλακες, id est, latrones siue laterani, assignabis: cohortem prę terea vnam aut duas ex sagittarijs, qui ὑπερκεράσται, id est, cornistites, ad circumdandos hostes & circumuallandos constituuntur: hos ad dextram eius partem collocabis. Ac primam aciem sic instrues.

29 Secundam aciem, quæ subsidiaria dicitur, sic instrues, vt tertiam partem totius exercitus in se contineat. Eam autem in quatuor partes diuides, & vnius sagittæ iactu ad latera eiusmodi partes à se mutuò distent. Has partes ancipites &

ad vtranque partem inflexas, quas ἀμφιστόμους seu διστόμους dicunt, efficies, vt qui anteriores sunt, ad frontem custodiendã parati atq; armati sint, vt etiam si à tergo de improuiso hostes irruant, conuertant se,& ad resistendum hostibus habiles reperiantur.

30 In extremis oris aciei hinc atque illinc post aciem instructam quasi vnius sagittæ iactu, educes ex vna cohorte ad aciem tergistitum, quasi ad tertiã aciem instruendam.

31 Vt autem loca siue interualla quę in medio secundæ aciei sunt,adunata omnino iunctaq; inueniãtur, & vniuersa acies quasi vnum corpus appareat,neq; in eundo distrahatur, necesse est ad hæc interualla in medio complenda è cohorte aliqua quosdã equites eligere, qui ad duorum vel quatuor potius hominum altitudinem, si magnus fuerit exercitus, instruantur:vt si quando occasio fuerit primæ aciei partes ad fugã inclinatas excipiẽdi, hæ tres cohortes retrocedentes & in angustum se contrahentes opportuna loca ad illos excipiẽdos præparẽt,simulque in fugã versos in hanc locorũ opportunitatem recipiant, eosq; qui tergiuersari volunt,& ad fugiendum se præparant admodum, retineant, & ad tertiã aciem

cum

cum tergiſtitib.iuncti, ſæpe hoſtes ad ſecundam aciem perfringendam incurſantes repellant, & quaſi indiſſolubilem ſecundam aciem efficiant. Atq; hæc ſi magnus fuerit exercitus, abs te fiant.

32 Sin mediocrem habueris exercitū, hoc eſt, à quinq; millibus hominum ad decem aut duodecim millia, ſecundam aciem non ex quatuor partibus, ſed duabus ſolis efficies, vt vnum ſolum ſpacium aut interuallum ad profligatos & repulſos milites habeas.

33 Sin pauciores copias quinq; millib. hominum habueris, ſecundam aciem ex vna ſolùm parte efficies.

34 Ad hæc omnia præcipimus tibi, vt tria aut quatuor banda ſiue cohortes ad inſidias hinc atq; illinc exercitus tui colloces, vt alteri ad lęuam inſtructi, inſidias ab hoſtibus ſuſceptas reliquasq́; molitiones prohibeant: alteri ad dextram conſtituti, ad inſidias incurſionesq́; hoſtibus inferendas præparentur, ſi locorum opportunitas id fieri permittat.

35 Adnotabis etiam eos qui ad latera aciei hoſtium obliquantur, & quæ à tergo incurſiones atq; impreſſiones fiunt: ſi aduerſus hoſtes bene & prudēter inſtituant, efficaciores atq; vtiliores ſunt ijs dimicationib. quę directè corāq; geruntur.

Quamuis enim pauciores ij fuerint, hostes tamen subitò intercepti & circumclusi, eiusmodi incursionibus magnas offensiones accipiunt. Nam neq; seipsos conseruare, quamuis pares numero fuerint, possunt: neq; si plures fuerint, à timore tamẽ & formidine abesse possunt, cùm plures longè arbitrẽtur esse eos qui incursiones faciunt, quàm reuera sunt.

36 Obseruandum autem est, haud par esse, sine magna necessitate, vt paucæ copiæ cum magno & instructu exercitu dimicent. Sin fieri non potest quin prælieris, ne apertè & coràm inuadas, sed vel à tergo, vel ad latera incursionem in illos facias.

37 Etenim valde lubricum periculosumq; est, coràm atque ex aduerso cum vlla natione præliari, præsertim si pauciores fuerint copiæ quæ ad pugnam instruuntur.

38 Ad summam autem mandamus, vt vniuersæ copiæ equestres in primam & secundam aciem belli tempore distribuantur, tumq; maximè cùm magnum exercitum habueris: & quemadmodum suprà dictum est, in cursores siue proclastas, qui in acie cæteris antepositi hostes adoriantur: & in defensores siue vindices, qui instructi cõsistunt, & ad excipiendos

dos cursores, si minus processerint, sed re infecta aut offensione accepta redierint, constituti sunt: tum in lateranos & cornistites, id est, qui ad circumuallandos hostes parantur: & in insidias, & in subsidiarios, qui à tergo constituuntur, eosq; impediunt qui stationem suam deserentes, fugam quærunt: & in tergistites, qui retrò à tergo omnium ad vniuersi exercitus custodiam collocantur.

39 Si ingentem habueris exercitum, & poteris eum in duas aut tres acies aut etiam plures diuidere, vt comparatę ad illos hostium copiæ, pauciores atq; imbecilliores videantur, si simul & confertim in vnam ex aciebus tuis irruant, cæteræ acies vel ad insequendos eos, vel ad circumueniendos instituantur.

40 Altitudo aciei equestris, quemadmodum antiqui descripserunt, ad quatuor solùm equitum altitudinem constitui debet: plures enim si fuerint, nullā vtilitatem aut commoditatem apportabunt. Neq; enim si quid accidat, possunt quēadmodum pedites, aliquam impressionem facere: hi enim etiam inuiti à sequētibus incitati, impetum in hostes faciunt: equi autem equos anteriores, sicut pedites faciunt, impellere non possunt. Neq; præsidium aliquod maius erit præstitu-

bus, id est, ijs qui in fronte collocantur, siue hi sagittarij, siue hastati fuerint.

41 Hastati enim qui post quartum equitem consistunt, hasta vti in anteriorem partem non possunt. Sagittarij autem sursum coguntur sagittas iacere, propter eos qui ante se consistunt: & ideo si densiores essent, inutiliores in pugna militari sagittæ eorum essent, quemadmodum quotidianus vsus experientiaq; demonstrat.

42 Ac satis certè esset ad hunc modum descripta nobis quatuor equitum altitudo, sed quoniam sępe pauciores fortes equites, in cohortibus inueniuntur, qui in prima fronte ad confligendum cum hostibus, & manus conferendas committuntur, propterea par est, vt pro cohortium viribus altitudinem aciei tuæ describas, ad hunc modum.

43 In fortioribus locis, & in medio collocatis cohortibus, ad aciem πρόμαχον, id est, propugnatricem, ad sex equitum altitudinem eos collocabis: ad læuam partem propugnatricis aciei, quoniam ibi milites fortitudine præstantes proximi locātur, ad septem virorum altitudinem vnamquanq; decuriam instrues.

44 Ad dextram rursum, vbi pari fortitudine viri collocantur, ac in læuam partem

tem antea constituebantur, octo equites collocentur: reliquę & debiliores cohortes ex octo aut decem viris per decurias instruantur.

45 Sin contingat ex deterioribus cohortibus in prima acie collocari, ad octo vel decem illorum virorum altitudinem instruantur. Cohortes autem quæ in secunda acie collocantur, ex electis quinq; militibus, & alijs quinq; administris, ad currus conseruandos, efficies vt decem viros vnaquęq; decuria contineat. Hi autem sic instructi, idoneis in locis constituantur.

46 Ad cursores & insidias, nulla ratione plus decem virorum altitudine acies instruatur, quamuis admodũ imbecilles cohortes fuerint: neq; ex electis cohortibus pauciores quinq; viris. Itaq; ad hũc modum idoneè diuidendus tibi est exercitus, & altitudines acierũ describendæ, nihilq; de longitudine & numero Pręstitum aut perparum detrahendum est.

47 Si enim ad decem virorum altitudinẽ cohortes vniuersas pari modo instruxeris, ab hostium speculatoribus facilè numerabilem exercitum efficies, præstitibus numeratis, vniuersum exercitus numerum colligendo: quod minimè hostibus patefaciendum est.

magnitudinem minus obedire imperatis tuis poſſint: ſed ſuperuacaneum numerum diuide,& ſecundam aciem ex eo inſtrue.

2 Qui enim vniuerſis equitũ copijs pugnat, & vnam in aciem aduerſus hoſtes omnem exercitum confert, neq; in aduerſos belli atq; ancipites caſus intuetur, neq; procurat quemadmodum alijs copijs, ſi quid accidat, pugnare cum hoſte poſſit,hic vir mihi videtur admodum imperitus rerum eſſe, & in manifeſtum diſcrimen ſeipſum conijcere.

3 Neq; enim numero hominum, neq; importuna audacia, neq; ſola conflictatione ipſa bella conficiuntur, ſed ſecundum voluntatem Dei, arte bellica & imperatorijs factis & conſilijs bene adminiſtratis,cum quadam exercitus alacritate, bella proſperè ſuccedere ſolent.

4 Prudentia autem ac moribus hæc fiunt,tamen pro ratione temporis, vt diei, noctis,hyemis, ſerenitatis : vel pro locorum ſitu,vt inſidiarum , anguſtiarum , ſubitarum incurſionum:vel pro rerum aliarum multarum ratione occurratur hoſtibus,vt præter commune & publicum bellum,alia ad victoriam conſequendam inſtituas. Hoc enim admodum ſalutare ac neceſſarium eſt,vt intelligentia, pruden-

tia,

tia, magnitudine animi, arte militari hostes tuos superes.

5 Atq; hæc quidem prudentia factisq; imperatorijs præstabis. Scienter autem bellum geres, si idonea cum acie exercitum variè ac tutò diuiseris aut coniunxeris, ac ordine quodam militari hoc feceris, atq; in hostes inuaseris.

6 Neq; verò teipsum solum ab hostium dolis incursionibus, consilijs tutum cōseruabis, sed etiam aliquas aduersus eos machinationes serues. Vnde & maiores nostri hoc quasi vtile obseruabant, nempe ordinis conseruationem. Ac ideo exercitum in turmas, drungos, id est, cohortes milliarias, tagmata siue cohortes, centurias, contubernia, ac reliquas partes ad vsum bellicum idoneas partiebantur atque instruebant.

7 Neq; enim par est in vnam solùm aciem omnes copias conferre, neq; in vno momento dijudicationem & administrationem tantę equitū multitudinis ponere, præsertim cùm tibi permagna militū multitudo adfuerit. Si aūt quemadmodū vsus fuerit, & tibi commodissimum videbitur, exercitum instruxeris, res varias ac diuersas bene administrabis.

7 Multos autem & varios aduersos casus videmus contingere, quando in v...

aciem vniuerſas copias quis cogit, in primis autem eos qui contaria, ſiue haſtas gerunt: nam cùm ingens numerus ſit eorum qui in exercitu ſunt, magnum interuallum ſpacij occupabunt.

Deinde cùm multa occurrant inæqualia loca, inæqualem quoq; & haud morigeram aciem, nempe vaſtam eſſe oportet, parteſque eius minimè inter ſe conſpirare, atque adeo ante pugnam incœptam, perturbatam & diſſipabilem inueniemus.

9 Quòd ſi hoſtibus hoc contingat, vt longitudinem aciei noſtræ ſuperent, id eſt, ad nos circuncludendos ſubitò ad cornu irruant, acies reliqua quæ à tergo & lateribus eſt præſidio deſtituta, nemine iam aciem ſubleuante, neceſſariò ad internecionem venit.

10 Prælio iam commiſſo, propter longitudinem aciei videmus ſæpe comites cum ſuis bandis ſiue cohortibus aciem occultè deſerere: quæ res cæteris omnibus occaſionem adfert miſerabiliter fugiendi. Verſis enim in fugam illis, nulla intermiſſio fugiendi, nulla ſpes reuocandi eſt. Nemo enim eos à fugiendo repellere, aut ad ſtationem reducere poteſt iam ad fugam incitatos.

11 Si verò feliciter ſe bellum geſturos

pu-

putant qui vnam in aciem se instruunt, & ante se in prælio repulsuros hostes existimant, vbi vniuersa acies dissipatur, & omni impetu fugientes hostes insequitur, si contingat eos iterum se aduersus copias tuas dissipatas vertere, aut copias alias subitò ex insidijs interuenire, nulla causa est quin qui insequebantur statim diffugiant, cùm nullos in promptu habeant qui hos de improuiso interuenientes repellere aut refutare possint.

12 Vnum autem, idq; solum subsidium habere eos existimo, qui vniuersas copias vnam in aciem conferunt, vt inimicis videantur eminus perfectæ atq; ingentes copiæ esse. At hæc res speciem solùm vtilitatis habet, vtilitatem autem nullam continet.

13 Alterum autem subsidium est, quòd vna hac instructa acie, ad circumfundendos atque intercludendos hostes aptiores erunt, si id artificio quodam & cum decoro fiat.

14 Duplicem instruere aciem, vt vna alteri subsidio esse possit, quantum humano iudicio percipi potest, multa & magna & preclara bona in se continet. Ac primum sanè est, quòd prima acies cùm alteram à tergo subsidiariam habet, fortius atq; alacrius cum hostibus dimicat.

Deinde extremæ oræ tum dextræ tum sinistræ, latronibus siue lateranis defensæ, maiore cum animo ac cupiditate bella gerunt. Maximum autem subsidiũ est, quòd secunda acie à tergo instructa, qui in prima acie stationem suam deserunt, in fugam non vertuntur, veriti secundam aciem, & suspicionem ignauiæ timentes: hoc enim magnam vtilitatem in bello adfert.

15 Prima acie, quemadmodum sępe vsu venit, profligata, secunda acies sæpe prę-sidio illis perfugioq; est, vnde rursus adiuti reuocatiq;, aduersus irruentes hostes iterum se couertunt.

16 Atque etiam quando qui in prima acie sunt hostes suos strenuè atq; alacriter persequuntur, si, quod fieri solet, vertant sé iterum hostes, aut aliunde subitò noui hostes interuenerint, secunda acies occurrens, primam aciem congregat & conseruat.

17 Sed, quod absit, si prima acies protinus repellatur, neque reuocari ad pugnandum cum hostibus poterit, secunda acies confestim instructa adest, quæ secundum pręlium iterum ineat, & de summa rerum etiam decertet, prima acie vniuersa fusa.

18 Necesse est enim aciem hostium, post

post bellum iam commissum & confertas manus, dissipatam atq; aliquantulum inordinatam esse, secũda acie nostra adhuc integra atq; ordinata, quæ certè ad victoriam magna pręsidia habet, cùm instructa & perfecta aduersus confusam & perturbatam hominum multitudinem dimicet.

19 Neque verò solùm necessaria est copiarum nostrarum in duas acies diuisio, quando pares atq; æquales nostræ atq; hostium copiæ inter se fuerint, sed tum in primis cùm maiores ac plures nostris ipsorum copiæ fuerint.

20 Sin quis dicat: Quęnam tandem huius secundæ aciei vtilitas esse potest? prima enim acie fusa & repulsa, secunda acies facilè tergiuersatur, & in fugam se dat. Is secum hoc modo cogitet: Si duabus aciebus instructis bellum lubricum atq; anceps fuerit, quidnam quis existimare debet vna solùm acie apparata futurum, cùm præsertim hac reiecta nihil habeat quo iuuare se atq; recreare possit?

21 Sin iterum obijciat, copias has in duas acies diuisas, longiores & tenuiores iustò esse: intelligat ijs duabus hoc effectum iri, vt cùm moderata magnitudine sint, & prope se adiũgantur, nulli à pręlio separati, sed formæ acierũ mutatæ sint, &

álteram antè, alteram retrò locantes, vtranq; aciem munitiorem firmioremq́; reddimus.

22 Propterea autem par eſt equeſtres copias, ſiue maiores ſiue minores ſint, in plures diuerſasque partes diuidere, quia neceſſe eſt te certa quadam definitaque moderatione omnia inſtituere, cùm aduerſus hoſtes dimicas, qui in bello tum artem militarem, tum ordinem bellicum obſeruant.

23 Si poteris, nulla ratione bellum geras cùm hoſtium plures copias eſſe intelligis. Primò cognoſcendæ diligenter hoſtium copiæ ſunt, tum bellum ſtatim inferendum eſt.

24 Si pedeſtrem habeas exercitum, huiuſmodi aciem inſtrues, qualem tibi ſtatim explicabimus in acie pedeſtri & acie mixta equitum ac peditũ inſtruenda.

25 Sin ſoli equites fuerint, & aduerſus equites bellum ſuſcipiendum eſt, in tres equeſtres acies vniuerſum diuides exercitum.

26 Primam aciem quæ πρόμαχος, id eſt, propugnatrix dicitur, in tres partes diuides, vnaquaque parte ſiue turma in tres μοίρας ſiue drungos, id eſt, cohortes milliarias diuiſa: in media autem parte ſiue turma ὑποστρατηγὸν, id eſt, principem

ſiue

siue proprætorem tuum: in dextra sinistraq; parte, turmarchas suos, in medio drungariorum aut μοιράρχων, id est, tribunorum collocabis.

27 Has tres turmas constitues ex ijs qui ad incursiones valent, quos cursores & proclastas nominant: & ex his qui cursores excipiunt iterum à cursu redeuntes, atq; eos defendunt, quos defensores appellant: vt vniuscuiusq; turmæ tertia pars cursores sint, duæ reliquæ partes in medio exercitus defensores sint, qui istos cursores vindicent & defendant.

28 Primam aciem sic instrues. Ad sinistram partem, quam maximè & facillimè circumuenire hostes solent, duas aut tres cohortes eiusdem partis, vt sint πλαγιοφύλακες, id est, latrones siue laterani, assignabis: cohortem prҿterea vnam aut duas ex sagittarijs, qui ὑπερκεράσται, id est, cornistites, ad circumdandos hostes & circumuallandos constituuntur: hos ad dextram eius partem collocabis. Ac primam aciem sic instrues.

29 Secundam aciem, quæ subsidiaria dicitur, sic instrues, vt tertiam partem totius exercitus in se contineat. Eam autem in quatuor partes diuides, & vnius sagittæ iactu ad latera eiusmodi partes à se mutuò distent. Has partes ancipites &

ad vtranque partem inflexas, quas ἀμφιστόμους seu διστόμους dicunt, efficies, vt qui anteriores sunt, ad frontem custodiendã parati atq; armati sint, vt etiam si à tergo de improuiso hostes irruant, conuertant se, & ad resistendum hostibus habiles reperiantur.

30 In extremis oris aciei hinc atque illinc post aciem instructam quasi vnius sagittæ iactu, educes ex vna cohorte ad aciem tergistitum, quasi ad tertiã aciem instruendam.

31 Vt autem loca siue interualla quę in medio secundæ aciei sunt, adunata omnino iunctaq; inueniãtur, & vniuersa acies quasi vnum corpus appareat, neq; in eundo distrahatur, necesse est ad hæc interualla in medio complenda è cohorte aliqua quosdã equites eligere, qui ad duorum vel quatuor potius hominum altitudinem, si magnus fuerit exercitus, instruantur: vt si quando occasio fuerit primæ aciei partes ad fugã inclinatas excipiẽdi, hæ tres cohortes retrocedentes & in angustum se contrahentes opportuna loca ad illos excipiẽdos præparẽt, simulque in fugã versos in hanc locorũ opportunitatem recipiant, eosq; qui tergiuersari volunt, & ad fugiendum se præparant admodum, retineant, & ad tertiã aciem

cum

cum tergistitib.iuncti, sæpe hostes ad secundam aciem perfringendam incursantes repellant, & quasi indissolubilem secundam aciem efficiant. Atq; hæc si magnus fuerit exercitus, abs te fiant.

32 Sin mediocrem habueris exercitũ, hoc est, à quinq; millibus hominum ad decem aut duodecim millia, secundam aciem non ex quatuor partibus, sed duabus solis efficies, vt vnum solum spacium aut interuallum ad profligatos & repulsos milites habeas.

33 Sin pauciores copias quinq; millib. hominum habueris, secundam aciem ex vna solùm parte efficies.

34 Ad hæc omnia præcipimus tibi, vt tria aut quatuor banda siue cohortes ad insidias hinc atq; illinc exercitus tui colloces, vt alteri ad lęuam instructi, insidias ab hostibus susceptas reliquasq; molitiones prohibeant: alteri ad dextram constituti, ad insidias incursionesq; hostibus inferendas præparentur, si locorum opportunitas id fieri permittat.

35 Adnotabis etiam eos qui ad latera aciei hostium obliquantur, & quæ à tergo incursiones atq; impressiones fiunt: si aduersus hostes bene & prudēter instituantũ, efficaciores atq; vtiliores sunt ijs dimicationib. quę directè corãq; geruntur.

Quamuis enim pauciores ij fuerint, hostes tamen subitò intercepti & circumclusi, eiusmodi incursionibus magnas offensiones accipiunt. Nam neq; seipsos conseruare, quamuis pares numero fuerint, possunt: neq; si plures fuerint, à timore tamē & formidine abesse possunt, cùm plures longè arbitrētur esse eos qui incursiones faciunt, quàm reuera sunt.

36 Obseruandum autem est, haud par esse, sine magna necessitate, vt paucæ copiæ cum magno & instructu exercitu dimicent. Sin fieri non potest quin prælieris, ne apertè & coràm inuadas, sed vel à tergo, vel ad latera incursionem in illos facias.

37 Etenim valde lubricum periculosumq; est, coràm atque ex aduerso cum vlla natione præliari, præsertim si pauciores fuerint copiæ quæ ad pugnam instruuntur.

38 Ad summam autem mandamus, vt vniuersæ copiæ equestres in primam & secundam aciem belli tempore distribuantur, tumq; maximè cùm magnum exercitum habueris: & quemadmodum suprà dictum est, in cursores siue proclastas, qui in acie cæteris antepositi hostes adoriantur: & in defensores siue vindices, qui instructi cōsistunt, & ad excipiendos

dos cursores, si minus processerint, sed re infecta aut offensione accepta redierint, constituti sunt: tum in lateranos & cornistites, id est, qui ad circumuallandos hostes parantur: & in insidias, & in subsidiarios, qui à tergo constituuntur, eosq; impediunt qui stationem suam deserentes, fugam quærunt: & in tergistites, qui retrò à tergo omnium ad vniuersi exercitus custodiam collocantur.

39 Si ingentem habueris exercitum, & poteris eum in duas aut tres acies aut etiam plures diuidere, vt comparatę ad illos hostium copiæ, pauciores atq; imbecilliores videantur, si simul & confertim in vnam ex aciebus tuis irruant, cæteræ acies vel ad insequendos eos, vel ad circumueniendos instituantur.

40 Altitudo aciei equestris, quemadmodum antiqui descripserunt, ad quatuor solùm equitum altitudinem constitui debet: plures enim si fuerint, nullã vtilitatem aut commoditatem apportabunt. Neq; enim si quid accidat, possunt quẽadmodum pedites, aliquam impressionem facere: hi enim etiam inuiti à sequẽtibus incitati, impetum in hostes faciunt: equi autem equos anteriores, sicut pedites faciunt, impellere non possunt. Neq; præsidium aliquod maius erit præstiti-

bus, id eſt, ijs qui in fronte collocantur, ſiue hi ſagittarij, ſiue haſtati fuerint.

41 Haſtati enim qui poſt quartum equitem conſiſtunt, haſta vti in anteriorem partem non poſſunt. Sagittarij autem ſurſum coguntur ſagittas iacere, propter eos qui ante ſe conſiſtunt: & ideo ſi denſiores eſſent, inutiliores in pugna militari ſagittæ eorum eſſent, quemadmodum quotidianus vſus experientiaq; demonſtrat.

42 Ac ſatis certè eſſet ad hunc modum deſcripta nobis quatuor equitum altitudo, ſed quoniam ſępe pauciores fortes equites, in cohortibus inueniuntur, qui in prima fronte ad confligendum cum hoſtibus, & manus conferendas committuntur, propterea par eſt, vt pro cohortium viribus altitudinem aciei tuæ deſcribas, ad hunc modum.

43 In fortioribus locis, & in medio collocatis cohortibus, ad aciem πρόμαχον, id eſt, propugnatricem, ad ſex equitum altitudinem eos collocabis: ad læuam partem propugnatricis aciei, quoniam ibi milites fortitudine præſtantes proximi locãtur, ad ſeptem virorum altitudinem vnamquanq; decuriam inſtrues.

44 Ad dextram rurſum, vbi pari fortitudine viri collocantur, ac in læuam par-

tem

tem antea conſtituebantur, octo equites collocentur: reliquæ & debiliores cohortes ex octo aut decem viris per decurias inſtruantur.

45 Sin contingat ex deterioribus cohortibus in prima acie collocari, ad octo vel decem illorum virorum altitudinem inſtruantur. Cohortes autem quæ in ſecunda acie collocantur, ex electis quinq; militibus, & alijs quinq; adminiſtris, ad currus conſeruandos, efficies vt decem viros vnaquęq; decuria contineat. Hi autem ſic inſtructi, idoneis in locis conſtituantur.

46 Ad curſores & inſidias, nulla ratione plus decem virorum altitudine acies inſtruatur, quamuis admodũ imbecilles cohortes fuerint: neq; ex electis cohortibus pauciores quinq; viris. Itaq; ad hũc modum idoneè diuidendus tibi eſt exercitus, & altitudines acierũ deſcribendæ, nihilq; de longitudine & numero Pręſtitum aut perparum detrahendum eſt.

47 Si enim ad decem virorum altitudiné cohortes vniuerſas pari modo inſtruxeris, ab hoſtium ſpeculatoribus facilè numerabilem exercitum efficies, præſtitibus numeratis, vniuerſum exercitus numerum colligendo: quod minimè hoſtibus patefaciendum eſt.

48 Hac proportione & moderatione conseruata, quod reliquum superest exercitus in secundam aciem conferendum est.

49 Mandamus autem vt contubernia militum ex maioribus minoribusq; natu certa proportione fiant, ne senes per se collocati, infirmi debilesq; fiãt, neq; adolescentiores perturbati atque intractabiles, nempe imperiti, inueniantur.

50 Aciem tuam ad hunc modum armabis. Præstitem primæ aciei, & qui illi proximè adstat, astitem siue secundum & extremi contubernij custodem quem οὐραγὸν, id est, vltimanum siue caudanum nominant, hastatas facies cum reliqua illorum armatura: reliquos omnes in medio illorum constitutos, qui sagittas iacere sciant, sine hastis collocabis. Neq; enim commodè arcum ducere potest ex equo, læua scutum tenens & arcum. Sin sic exerceatur miles, vt quando sagittas iacit, à tergo aptè conijciat scutum, nequaquam hoc inutile videretur.

51 Ad hæc constituendi abs te despotati quidam sunt ad primam aciem diligenter obseruandam, qui sauciatorũ in prælio curam habeant. Ad vnamquanq; cohortem octo aut decem viros constitues agiles atq; expeditos, sine armis, qui cen

tum

tum pedum interuallo suas ipsorum cohortes sequantur, vt eos qui inter dimicandum grauiter ac periculosè sauciantur, eosq; qui ex equis cadentes pugnãt, & seipsos iterum colligere nequeant, recuperent & conseruent, vt ne strenui milites à secunda acie aduentante conculcentur, & negligentia quadam iam vulnerati interimantur. Ijq; despotati quotcũque conseruauerint, à quæstore Imperij nostri pro singulis militibus conseruatis habeant numum vnum.

52 Tales deinde, postquàm versi in fugam hostes fuerint, & secunda acies transierit, spolia quæ in primæ conflictationis loco inuenta fuerint, congregent, & præstitibus siue contubernij sui decanis post confectum prælium tradant: cuius laboris & ipsi quoq; aliquam mercedem habeant. Hanc enim rerum fortuitarum præstitibus in bello prærogatiuam iustã atq; idoneam esse arbitramur, quia in prima belli conflictatione maxima pericula & discrimina subeunt. Hac ex re, hæc præterea vtilitas accedit, quòd ad hostes cadentes despoliãdos nulli ex equis descẽdunt, & stationem suam deserunt.

53 Vt verò facilè cõscendere equos possint tum despotati, tum milites vulnerati qui ex equis ciciderunt, par est vt despo-

tati duas ſcalas ad læuam partem ſellæ habeant,vnam ad emproſthocurbium,id eſt, antilenam : alteram ad opiſthocurbium,id eſt,poſtilenam, vt quãdo hi duo equum conſcenſuri ſunt, alter ad ſcalam anticam, alter ad poſticam conſcendat. Ferant autem deſpotati ſecum in phlaſcijs aquam,quia ſępe ſauciati animo deficere ſolent.

54 Belli ipſius tempore,haſtæ ne habeant flamûla: in quo enim ad oſtentationem & pompam neceſſaria ſunt,in eo ad bellum gerendum inutilia ſunt. Si enim quis opportunè aliquid conijcere voluerit, ſiue iaculum ſiue ſagittam, flamûlum magno impedimẽto ad id erit,vt vel propè ad ſcopum, vel ad ſpacium aliquod longum proijciatur. Sin ſagittarum iaciendarum tempus fuerit, flamûla admodum retardabunt ſagittarios à tergo ſagittas emittentes.Ad excurſiones autem omnes, conuerſiones, reuerſiones,haud paruo impedimento ſunt, itaq; in bello minimè illis vtendum eſt.

55 Ad ſplendorem aciei honeſtandum, vt eminus ab hoſtibus flamûla in haſtis cernantur, dum hoſtes intra vnum miliare ſunt, valent: tum verò retrahant ea, & in thecis ſuis reponant.

56 Ad hæc præcipimus, vt ſi fortes ac ſtre-

ſtrenuæ fuerint cohortes, ex ſingulis cohortibus duo, ſin minus, ex ſingulis turmis octo aut duodecim ſcutatores & bigleuōtes, quos ſpeculatores & excubias appellamus, vigilantes, induſtrij, truces eligãtur: qui ante bellũ & ipſo in bello diligenter vſq; ad totius belli exitum, ijs in locis in quibus eminus collocantur, diligenter ſuis turmis & cohortib. proſpiciant & ſpeculentur, ne qua ex inſidijs incurſio aut dolus hoſtium obuerſetur.

57 Menſuratores autem totidem eſſe oportet, qui aplicta, id eſt, caſtra anticipare & dimetiri debent, viasq; prouidere, atq; ad caſtra exercitum ducere. Ac de ijs hæc à nobis dicta ſunto.

58 Primam aciem ſic dignitas tua inſtruet, vt prope ſe mutuò ambulent, neq; longius interuallum aut ſpacium interiectum ſit, quàm vt ne ſe mutuò in itinere affligant, ne nimis à ſe partes diſtare videantur.

59 Laterani vſquedũ hoſtes propè adfuerint, aciei reliquæ adiuncti ſint: tũ autem ſagittæ vnius iactu, neq; plus eo, ad læuã recedant, idq; potiſſimùm quando longitudine hoſtium acies noſtram aciẽ ſuperauerit. Similiter corniſtites, id eſt, qui ad circuncludendos hoſtes collocati ſunt, ad dextram partem faciant.

60 Partes siue turmas secundæ aciei ad latera, id est, obliquè, vnius sagittæ iactæ interuallo collocabis: à tergo autem siue post primam aciem ambulent. Itaque quamdiu hostes longè à loco prælij ad vnum miliare aut eo plus absunt, tam longè sequantur, vt ab hostibus cerni aduertiq; nequeant, ne si aduertantur, aliquas insidias molitionesq; aduersus eas hostes instruant. Vbi autem hostes iam propè fuerint, & emergente atq; in conspectum secunda iam acie aduentante, minimè apparare aliquas copias aduersum eas hostes potuerint, ad sagittæ quater iactæ interuallum secunda acies accedat, & primam aciem diligẽter obseruet: neque enim abesse longè ipsius cõflictationis tempore acies debet, vt ne omni presidio destitutam eam relinquat: neq; rursus nimis propè accedat, ne puluere maximo excitato, ea cum prima acie permista sit, & antequam discesserint, hostes insequi primam aciem putetur.

61 Cohortes quæ post oras secundæ aciei hinc atq; illinc vtrinq; locantur, vnius sagittæ iactu à cæteris constituantur, atq; ita sequantur.

62 Insignia quæ in exercitu sunt, cohortium minora & leuiora sint: μοιρέρχων vel drungariorum seu tribunorum maiora &

ra & distinctiora: turmarcharum autem insignia admodum diuersa à tribunorum suorum insignibus. Principis tui siue propraetoris multùm distincta sint insignia. Tuum autem insigne à caeteris omnibus insignibus diuersum esse debere nemo ignorat, vt in rebus perturbatioribus in insigne intuentes, reuocare eos domum, & ad sua loca transferre prȩfecti possint.

63 Omnibus cohortibus ȩquabiliter in fronte collocatis, strenuos ex illis milites vndeuiginti aut viginti eliges, qui ad custodiam vniuscuiusq; illorum & administrationem constituentur.

64 Prȩfectos maiores tuto & firmo loco in exercitu collocabis, ne impetu quodam incitati, praecipites in periculum ruant, atq; inde magna perturbatio militibus oriatur. Ex minoribus enim praefectis si quis trucidetur, nemini facilè patefit nisi suaeipsius solùm cohorti: sin quis ex nobilibus ceciderit, per multorum hominum ora, peruagatus rumor, vniuerso exercitui perturbationem afferet.

65 Princeps siue propraetor tuus reliquiq; turmarchae in fronte cohortium suarum consistentes, circumspiciant, & appareant aciem, vsquedum intra vnius aut alterius sagittae iactum hostes fue-

sint:vbi autem committendæ acies sunt, strenuissimos quosq; ex suis viris ad latus suum instruant, & in illorum conspectum veniant, illosq; ad manus conserẽdas impellant.

66 Dignitati tuæ præcipimus,vt vsque ad conflictationis tempus, instruas, perlustres atq; appares exercitum aduersus hostium impetum: confertis iam manibus ad tuam ipsius cohortẽ venias, non vt ibi prælieris,sed vt speculeris & perlustres tum primã tum secundã aciem,hoc est,ad medium locum secundæ aciei.

67 Multas buccinas concitare atq; inflare belli tempore inscitũ atq; inconsultum esse videtur, quia ex eo perturbatio & confusio orietur: neq; enim bene imperata exaudiri possunt. Si enim locus æquabilis fuerit, mediæ turmæ buccina vtriq; aciei satis fuerit.Sin inæqualis fuerit,aut ventus,quod sæpe fit,turbulentus flet, vel aquarũ susurrus vocẽ clarè exaudiri impediat, haud ab re fuerit in reliquis turmis vnam buccinam in vnaquaq; turma personare, vt in acie vniuersa tres solùm buccinæ sonent: quanto.n. magis silentiũ seruatur,tanto magis adolescentiores firmiori animo sunt,& iumẽta magis intrepida,aciesq; ipsa hostib. terribilior esse videtur,imperataq; celerius fiũt.

Itaq;

68 Itaq; vbi exercitus ad bellum procedit, nullam oportet vocem aut sonum à quoquã temerè emitti, sed simul vt è castris ad prælium vadit acies, tacita iter faciat, nihilq; temerè loquatur: hoc enim non modò exercitum animosiorem facit, sed & præfectorum cohortes attẽtius animaduerti facit.

69 Modum & formam confligendi res ipsa & commoda densatio, & inimicorũ pręsentia efficient. Cum verò iam ad cõflictationem mouet exercitus, consueta Christianis vox vsurpanda est, νικητήριον τοῦ σταυροῦ, Crucis victoria.

70 Manib. iam consertis clamores quã maximos altissimosq; ædere non inutile fuerit, atq; eos in primis qui à tergo aciei instruuntur, tum ad hostes perterrefaciẽdos, tum ad suos confirmandos.

71 Cantatorum quoq; munus in prælio negligẽdum non est: ij sunt qui exercitũ vniuersum oratione sua ad præliũ incitant, impellũt, consulunt, adhortantur. Si fieri poterit, ijdẽ milites pręfectiq; qui ad dimicationẽ procedũt, ad hoc munus faciendũ eligantur. Eligãtur aũt eloquẽtes viri, quiq; oratione sua vertere in omnes partes militum animos possent. Societas enim operæ laborumque, magis obedientes atque alacres ad exhortatio-

nes approbandas persequendasq; facit.
72 Cãtatores autem suasoria quædam atque exhortationes tales adhibeãt. Primùm commemorent mercedem fidei in Deum: deinde regiam beneficentiam: beneficia antè collata: causam susceptam pro Deo, & eius dilectione, ac pro vniuersa natione, atque adeo pro fratribus omnibus fidelibus, & si vsus ferat, pro vxore, liberis, patria: sempiternam esse memoriam eorum qui strenuè se in bello pro fratrum libertate gerunt: Cõtra CHRISTI hostes hoc bellum susceptum esse: Nos Deum habere propitium, in cuius manu omne belli momentum ponitur. Illi propter incredulitatem contrario in statu sunt. & si quid tale excogitatum sit, quod illorum mentes ad bellum inflammare possit. Eiusmodi enim oratio commodè habita, animos hominum magis impellit, quàm magnus pecuniæ numerus.
73 Hoc autem prætereundum non est: quoniam hostes facilè pro numero insignium, integram multitudinem exercitus cognoscere possunt, necessarium esse arbitramur duo similia in vnaquaque cohorte esse insignia, vnum quidem Comitis nomine, alterum centurionis: & vtraq; insignia vsque ad diem belli gestẽtur. Die autem ipso belli, authentica
banda

banda sola eleuẽtur, vt ne multis insignibus eleuatis omnia misceantur, minusq; cognita sint suis ipsorum militibus: hac enim ratione fiet, vt permagnus exercitus pro numero insignium videatur, & ipso die belli authentica atq; omnibus cognita proferantur.

74 Ante belli diem, & aliquot pręterea antè diebus, exhortationes quædam fiãt ad exercitationes reliquosq; motus bellicos alacriter suscipiendos: vnusquisq; enim turmarcha suos aduocabit, & apud eos verba ad hunc aut consimilem modum faciet: NON temerè hæc exercitationum genera à maioribus nostris atq; etiam ab Imperatoribus tum recentioribus tum antiquioribus instituta sunt. Neq; sine causa hæ artificiosæ acierũ instructiones, tum directæ, tum orbiculatę, reliquiq; motus bellici adinuenti sunt. Si enim agrestes feræ, vt lepores, damæ, ac reliquæ contemptæ bestiæ, cùm eas venando consequimur, non omnino longius in directum aufugiunt, sed in contentionem & impetum venatorum intuentes, sic se accommodãt vt euadere possint: quanto magis homines intelligentia pręditos & de magnis rebus contendentes, attentè & industriè, tum persequendis hostibus, tum declinandis, in prælio

operam nauare oportet, neque quasi aqua in hanc aut illam partem iactari atq; effundi, si vel magna aliqua incursio ab illis fiat, vel aliquis à nobis in illos impetus existat, immodicè alterutram in partem ferri, sed omnia sustinere, vt victoriam tandem adipiscantur.

75 Neq; enim ad paruum spacium insequi hostes, & tum dimittere, victoria putanda est: neq; rursus paululum retrocedere, rursusq; in eos conuerti, offensio belli iudicanda est, sed ex belli exitu omnia æstimanda, atq; ad eum conferenda sunt. Hæc atq; ijs similia turmis suis turmarchæ narrent, singuliq; prætere a militibus suis præcipiant.

76 Tu aũt Imperator, post singulorum turmarcharum reliquorumq; præfectorum priuatas militũ suorũ exercitationes atq; adhortationes, semel atq; ad summũ iterum vniuersam aciem instrues, similiterq; factis ac dictis paratos reddes, atq; ad omnem bellicum vsum habiles.

77 Præcipies etiam primæ siue propugnatricis aciei præfectis, vt mediæ suæ turmæ obtemperent, vbi princeps siue proprætor, qui nunc suæ ditionis μεράρχης siue turmarcha dicitur, constitutus est, & æqua fronte cum illo incedant, eodemq; tempore prælium committant.

Hac

78 Hac acie instructa si vertantur hostes in fugam, cursores statim ad insequẽdos eos, vsquedum ad fossatum illorum peruenerint, omnibus viribus contendant: defensores aũt in acie instructi sequantur, & non consistant, ne si hostes conuertantur iterum, & illorum impetum cursores sustinere nequeant, propè ad defensores cõfugiendo rursum seipsos colligant.

79 Sin inter confligendum vna aliqua turma aut omnes etiam in fugam vertantur, ad secundam aciem ad vnius atq; alterius sagittæ iactũ se recipiant, rursumq; se ad inuadendos hostes confirment, cõsuetis & idoneis in principio pugnæ vocibus & cæremonijs adhibitis.

80 Si hostes poterunt in fugam verti, insequendi primò sunt, deinde recedendum iterum ab eis, & ad eos statim vertẽdum est. Sin semel atq; iterum hoc tentando non proficitur, secunda acie cominus iam aduentante confugiant ad eam, & ad opportuna quædam loca intus se recipiant, hocq; interuallo spacij ad extremam aciem iterũ se euoluente, simul cum secunda drungisti, id est, confertim ac densè inuadãt, & si in fugam versi fuerint, omni alacritate eos insequantur.

81 Lateranis etiam præcipites, vt si lon-

gius inueniatur cornu hostium esse, conentur ad cornu, id est, ad scutum siue lęuam inclinantes, ad eandem quoq; longitudinem produci, vt ne ab hostibus turmæ nostræ includantur. Sin concisius fuerit aduersum cornu, lunare eos oportet, & ad semicirculi formam adducere, & intra complexum suum hostes coërcere, priusquam turma confligere cum hoste incipiat, hoc est, priusquam consuetę voces ante manus conserendas vsurpentur. Sin æquale fuerit hostium cornu, in sua ipsorum acie quasi defensores stent, & turmam suam adiuuent.

82 Pręcipies etiam cornistitibus, quando prope te fuerint hostes, vt duobus aut tribus sagittæ iactibus, clàm dextrum cornu cõsequantur, vna cohorte in anteriore parte ad frontem constituta cum decanis quintaníue suis: qui ad quinque virorum solùm altitudinem erunt, si strenui fuerint, reliqua cohorte vniuersa drungisti, id est, densè & confertim illud sequente.

83 Banda, id est, capita illorum siue insignia ne sursum erecta teneant, sed inclinata, dùm vsus poscat ea in lucem educi, ne si erecta in conspectu hostiũ essent, qui ea gestarent magis ab hostibus insidijs appeterentur.

Si

84 Si longius aduersum cornu inueniatur, primò ad cornu, id est, hastam siue læuam declinãdum est, paululumq; dextrũ cornu in procedendo retardet se, & ad dimidium sagittæ iactum producat se, vt aduersum cornu longitudine supeient, atq; ita declinantes illosq; circumuenientes dicant, ἔξελθε, exi, statimq; à tergo illorum cohois milliaria, quem drũgum vocant, de improuiso & acri cum incursione inuadat.

85 Profligatis hostibus, non statim illos fugientes persequantur, sed cõfestim qui à tergo steterint, cum reliquis cohortibus procedant. Quòd si contractiores hostes fuerint, statim exeant, & lunata quasi forma circumcludant eos: sin æquales fuerint, paululum producant se, & hostium longitudinem superent: hocq; modo irruptio in illos fiat.

86 Quòd si cùm cornistites suos producunt, hoc idem facere conantur, inuadendi statim illi sunt, dum in hac mutationis perturbatione sunt: nam dum illi ad cornu, id est, læuam cõuertuntur, dextras illorum nudas esse, & densationem illorum dissolutam esse, necesse est.

87 In hostibus circũdandis non solùm cornistites, id est, qui dextri cornu propugnatores sunt, elaborare, ne vel nimis

retardentur, vel nimis citò incipiant, sed & partis illius, id est, turmæ præfectum, siue is turmarcha, siue alius quispiam fuerit. Itaque inuadentibus eos cornistitibus, & hostibus iam tumultuari incipientibus, aduersum eos vniuersa turma incedat.

88 Curæ Præfecto esse debet, vt si fieri possit aduersas copias longitudine superet: sin minus, saltem exæquet: si enim longior nostra quàm aduersariorũ acies fuerit, cornistites munus suum sedulò ac fructosè facient.

89 Cornistites ideo necessarij sunt, quia in nudis locis incursiones facere opportunius possunt.

90 Secundę similiter aciei præcipies, vt medium locum, in quo dignitas tua constituta erit, diligenter obseruet, & sedulò aduertat, vt cõflictationis tempore duos aut tres sagittę iactus à prima acie absint, vt si in fugam conijciantur hostes, quasi propugnatrix atq; subsidiaria non consistat, sed aciem sequatur.

91 Quòd si quæ cohortes primæ aciei profligatæ fuerint, hãc afflictam partem & perfugium quęrentem excipiat, ac etiã cum prima acie ordinatè ac dispositè incedat, neq; aciem instructã ante belli exitum, & priusquã se in castra sua receperint.

rint, dissoluat, sed sic ad conseruationem primę aciei ordinatè sequatur, nō autem ad persequendos hostes confusè ruat.

92 Si anceps prælium primæ aciei fuerit, & persecutiones fugæq; fuerint, permanendū est, & exitus rei contemplādus, vocesq; ac clamores graues iterū ac tertiò profundēdi sunt, tum ad nostros exuscitandos, tum ad hostes exanimandos. Neq; statim coneris manus cōferere, aut ad primam aciem accedere, ne aliqua cōfusio ac fuga quædam indigna hanc conflictationem sequatur.

93 Sin, quod sæpe accidere solet, secūda acies vsq; ad tergistites seu tertiam aciem in fugam vertatur, hæc tertia aduētans conetur recuperare eam.

94 Sin insidijs vllis factis à tergo aliqua incursio atq; impetus hostiū fiat, si pauci hi fuerint qui adoriūtur eos, tertiaq; acies aduersum eos satis est, hæc tertia tum emittatur: sin ea satis non fuerit, conuersis tum ad caudam, id est, vltimam aciem, cohortes cum præfectis ita se præparent quasi ἀμφίστομ☉, id est, anceps acies esset: sic acies cum illis confligat, profligatisq; hostibus tergistites, siue vna siue plures cohortes fuerint, quasi cursores in illos immittantur.

95 Si magnus numerus eorum esse vi-

deatur qui incursionem fecerint, tum præcipies ijs verbis, μετάλλαξον, id est, cõmuta: qua voce decani ad caudam venient, id est, ad posticam partem transferent se cohortes, vt cauda quæ fuit, iam frons fiat.

96 Hæc paruo tempore ante bellum & dimicationem ipsam pręcipe, vt quid facto opus sit milites cognoscant. Ipso enim tempore prælij milites harum rerum rudes atq; ignaros, tale aliquid docere haud par est, nisi ea solùm quæ leuia sunt, & breuiter efficiuntur.

97 Nam si longo tempore ante præliũ præcipies, hæc obliuioni mandabuntur: ac propterea paululum ante bellum hæc commemoranda sunt. Præcipies autem omnibus, vt nemo audeat secundam aciem transgredi, quamuis prima acies penitus profligata fuerit, vt ne (nisi ingens atq; ineuitabilis aliqua necessitas cogat) vel per inimicos, vel per suos, quasi dignus de vita periclitetur.

98 Quoniam autem ex insidijs etiam cum hostium acie confligendum est, qui in insidijs & occultis latebris sunt, ante omnia exploratores quosdam emittant, vt ne nimis confertim in hostium impetum de improuisò incurrant, vel alias ad latus, vel à tergo, siue post vniuersam aciẽ insidias sustineant. Sa-

99 Sæpe inimicorum copiæ in duas acies diuiduntur, ac nisi diligenter instructa prima fuerit acies, insidijs magis ex aduerso adoriendi sunt.
100 Si hostes in duas similiter acies diuidantur, haud sanè par est à tergo, id est, postica parte insidias struere, sed ad cornu aliquod, siue vna ex parte incursio futura sit, siue vtraq; ex parte.
101 Incursionis tempus coniectare tecum oportet, & animo quasi dimetiri, ne vel anteuertas aciem, vel retarderis: sed quando duos aut tres sagittæ iactus acies à se mutuò absuerint, impetus in hostes ex insidijs & occultis latebris faciendus est.
102 Hæc quæ diximus, non ad exercitationem, sed in dimicatione ipsa assumenda sunt.

*De turmarchis, cursoribus, defensoribus.*

103 Hæc à Dignitate tua præcipienda & distribuenda sunt. Vnicuiq; turmarchæ præcipies, aut scripto trades, quę antè mandauimus, vt suæ ipsius partis siue turmæ constitutionem agnoscat. Vnusquisq; turmarcha vniuersæ partis suæ trientem in cursores siue proclastas conferat, & hinc atq; illinc turmæ suæ eos collocet: bessim aũt exercitus in medio, defensores siue vindices, collocet.

*De Contariorum flamûlis.*

104 Contaria, id eſt, haſtæ conflictationis tempore flamûla non habeant, ſed de haſtis detrahant, & in thecas ſuas conijciant, quando ad vnum miliare iam hoſtes aduentauerint. Antea autem omnino in haſtis habeant.

*De differentia bandorum.*

105 Banda, id eſt, inſignia comitum minora ſint drungariorũ, id eſt, tribunorum perfectiora & diuerſa. Turmarchæ inſigne diuerſum longè à reliquis ſit, quẽadmodum antea à me explicatum eſt.

*De belli tempore.*

106 Conflictationis tempore poſt vocem τῆς τοῦ σταυροῦ νίκης, id eſt, victoriæ crucis, magnos atq; altos clamores ædere oportet, atq; eos in primis q̃ à tergo ſunt, vt qui in fronte ſunt magis animentur.

*De locis præfectorum.*

107 Buccinæ multæ prælij tempore ne ſonẽt: turmarchę enim buccina ſatis fuerit. Turmarcha in medio turmæ ſuæ, id eſt, in medio defenſorũ collocetur. Drungarij, id eſt, tribuni in reliquis vtrinq; turmis, in medio cohortium curſorum.

*De locis ante bellum explorandis.*

108 Aciei inſtructę tempore exploranda ſunt loca per mandatores vbi conflictatio futura eſt, id eſt, medium ſpacium

in-

inter nostram iam aciem instructam atq; hostium, necubi fossæ, aut putei, aut dolus aliquis ab hostibus molitus sit: quòd si tale aliquid inuentum fuerit, præstoletur acies nostra dum hostes eum locum transierint, & cum hostibus integro in loco ac securo pugnent.

*De bando turmarchæ.*

109 Bandum, id est, insigne turmarchæ longè diuersum distinctumq; forma sit à cæterorum præfectorum suorum bandis, vt facilè ab omnibus signiferis agnoscatur.

*De signis motus huius bandi.*

110 Motu autem aliquo peregrino ac vario etiã bandum hoc distinguatur, vel quòd sursum aut deorsum, aut dextrórsum aut sinistrorsum locetur, aut cõtinuè inclinetur, id est, demittatur caput huius insignis, aut crebrò directè moueatur, vt omni in confusione ac perturbatione à reliquis insignibus facilè cognoscatur.

*Turmarcharum banda inter se differant.*

111 Omnium turmarcharũ banda vnum signum ne habeãt, sed diuersas notas singulæ turmæ habeant, ad quæ cognoscenda milites antè assuefaciendi sunt. Non modò enim singula ex eo turmarcharum banda adiuuantur, & partem suam facilè confirmant, sed etiam si quando aberra-

uerint, ad suas cohortes facilè redeunt.

*Miles in bandum præfecti sui intueatur.*

112 Miles si qua ratione cótingat à bādo suæ cohortis abesse, omnibus modis eò reuocandus est, vt acies minimè confusa aut perturbata, exercitus salutem ac præsidium præ se ferat.

*Separandos alienigenas ab acie.*

113 Si in exercitu aliqui populares hostium fuerint, ante diem belli separandi sunt, & ad alia quædam honesta cum causa amandandi.

*Drungarij comites quid facient.*

114 Ac turmarchis ista præcipies. Vnicuique autem drungario & comiti etiam mandabis, vt diligenter exquirāt ea quæ alicui vsui copijs nostris esse possint.

*De hymnis canendis.*

115 Par est autem siue in fossato versetur vnumquodq; bandum siue cohors, siue alicubi castra ponat, manè cum prima luce, ante alia omnia, vt vesperi post cœnā ac Missas, τρισάγιον ὕμνον, id est, tersanctum hymnum pro more, cæteraq; canere.

*De contubernijs.*

116 Contubernia siue manipuli, quæ quasi paruę quædā cohortes sunt, vt antè descripsimus, ex maioribus & minoribus natu simul iunctis conficiantur.

*De armatura contuberniorum.*

117 Primanus & secundanus contubernij, ac præterea etiam vltimanus, hastati sint: tertius & quartus sagittarij: quiq; in medio sunt, quemadmodum necessitas requirit maxime instruantur.

*De flamûlis.*

118 Flamûla hastarum, quemadmodum suprà admonuimus, tempore belli minimè in hastis esse permittantur, ne hastæ tum ijs qui gestant, tum ijs qui à tergo sunt, tum etiam sagittis in acie coniectis impedimento sint.

*De despotatis.*

119 Despotatos, quos ad conseruandos & recuperandos eos qui in bello sauciati erant milites, antea constituebamus, ex vnaquaque cohorte sex aut octo ex debilissimis separari iubebis, vt vbi tempus requirit, qui in bello grauiter vulnerantur, ab illis seruentur.

*De speculatoribus & bandi custodia.*

120 Duo speculatores siue exploratores diligentes, vigilantes ac strenui eligendi sunt: duo præterea mandatores: & contubernijs etiam duo viri eligantur, qui belli tempore bandum diligenter custodiant.

*De cantatore.*

121 Cantator idoneus atque eloquens

vnus aliquis eligēdus est, qui ipso in prælio exacuet atq; incitet militum animos, & suasoria oratione ad alacritatem & cupiditatem bellandi, quemadmodum suprà memoraui, omnes inflammet.

*Quando duo banda habenda, & quando vnum.*

122 Magnis in cohortibus duo banda ante belli diem fiant, alterum præfecti cohortis, id est, comitis, alterum primi cēturionis. Ipso aūt belli die non duo gestentur aut erigantur, sed comitis solum.

*Quid prælij tempore à militibus gestandum sit.*

123 Ipso belli die vnusquisque miles gestet ad sellam suam secum aquam in phlascijs, & paxamadium, id est, biscoctū in sellopungio, & farinæ vnam atq; alterā libram, vt necessario tempore hæc habeant ad refocillationem & recreationem sui atq; aliorum, qui in aliquā animi defectionem aut valetudinis infirmitatem incidunt.

*Nullum cadauer ante belli finem spoliandum.*

124 Tempore prælij vt cognoscāt milites ante belli exitum neminē spoliādum esse, sæpius hoc militibus inculcetur.

*Tuldum vbi locandum sit.*

125 In itinere faciēdo, tuldum siue impedi-

pedi-

pedimenta cûm militibus permiſcendũ non eſt,hoſtibus præſertim imminentibus,ſed ſeparatim, & cohortem aliquam poſt tuldum ſeparatam, aut aliter etiam ſi quãdo id vſus exigat, quemadmodum in capite de tuldo antea mentionem fecimus. Hæc quæ nos tibi præcipimus, tu iterum ſingulis comitibus & drungarijs, & turmarchæ vnicuiq; cognoſcenda & conficienda dabis, atq; etiam ipſe quantum potes ad eadem eos exhortaberis & præparabis.

*Ex quibus vincuntur hoſtes, ab ijſdem diligenter cauendum eſt.*

126 Occaſione atq; opportunitate in bello idoneè vtaris. Primum aũt eiuſmodi occaſiones vitabis, ex quibus offenſiones belli eſſe poſſunt. Ijſdem deinde tu occaſionibus aduerſus hoſtes vtaris.

*Hoſtes confusè non perſequendos.*

127 Ante omnia ab hoſtibus molitas ac ſtructas inſidias explores, per excubias quatuor in partibus aciei collocatas. Ab omni autem confuſa & diſſipata inſectatione hoſtium abſtinẽdum in primis eſt.

128 Temerariæ atq; audaces rerum aggreſſiones abs te minimè ſuſcipiendæ ſunt, ſed ab alijs quibuſdã idoneis præfectis. Si.n. aliqua offenſio aut grauis caſus illis cõtingat, aliqua ſpes eſt eius reficien-

di: sin præcipuus & nobilissimus in exercitu aliquid huiusmodi pateretur, eiusmodi offensio magnas perturbationes inueheret.

129 Prudens & circumspectus imperator ante bellum in res hostium diligenter intuebitur, & præsidia quibus abundat sedulò vitabit, defectus autem suos quantum potest vexabit: vt verbi causa, si plures quàm tu equites hostis habeat, pastiones omnes vastandæ sunt, vt equi deficiantur pabulo: sin virorum multitudo fuerit, illorum commeatus omnis atque alimenta circũuenienda tibi & præripienda ab illis sunt.

130 Si diuersis ex nationibus hostium copiæ existant, donis, muneribus, pollicitationibus corrumpendi tibi sunt.

131 Sin diuersarum partium sententiarumq; fuerint, præcipuos quosq; ex illis ad te tuasq; partes solicitabis.

132 Hastis si vtantur, in aliquam difficultatem asperitatemq; locorum illos ad prælium euoca.

133 Si sagittarij fuerint, in planiciem & loca campestria trahantur, vt ibi cominus confertis manibus dimicent.

134 Si negligenter aut solutè die vel nocte ambulent hostes, insidijs de improuiso adoriendi sunt.

Sin

135 Si animosè & audacter ad bellum venerint, & ab omni offensione immunes esse videbuntur, præ te feras quasi bellum cum illis statim gesturus sis, reijce tamen bellum ac differto donec feruor omnis animorum elanguescat, & vbi hic impetus consederit, tum bellum illis inferto.

136 Si peditum numero hostibus præstiteris, ad plana & campestria loca illos deducito, non vt cominus, sed vt eminus iaculis cum illis confligas.

137 Bellicæ enim decertationes, venationibus similes sunt: quemadmodum enim ibi excubijs, insidijs, circuitionibus, atque huiusmodi astutijs potius quàm viribus fera capitur, sic bellum cum hostibus, siue plures siue pauciores fuerint, gerendum est.

138 Coràm enim ac manibus solùm cõsertis velle cum hostibus apertè confligere, quando aliqua victoriæ spes illis adfuerit, sine periculo ac graui offensione belli euentus esse non potest. Temerarium autem ac inscitum est, nulla necessitate impellente, victoriam talem cum damno quærere, quæ hoc modo parta, nomen tantùm inane atque vmbratile magis habebit, quàm ea quæ certissimo ac constantissimo in bellicis rebus iudi-

cio suscepta est. Deinceps iam quæ ante belli diem facienda sunt, quando necessitas te ad bellum cogit cum hostibus gerendum, dilucidè ac breuiter exponam.

## De die ante bellum, Cap. XIII.

TVrmarchæ vt banda omnia integra sint, atque ad vsum militarem apta, ante diem belli vnum atq; alterum præparabũt, atqueadeo bandophoris, id est, signiferis cohortium dentur. Cohortis vnusquisq; comes sua constituat contubernia, & si qua sint defecta, expleant.

2 Exploratoribus & speculatoribus sedulò hostium statum exquires, qui motus illorum, quãta multitudo, qualis acies: itaq; te aduersum eos præparabis, vt ne subitò ac de improuiso inuadare ab illis. Vbi vacauerit autem, exercitum tuũ per drungos, id est, cohortes milliarias & turmas cõgregabis: neq; enim omnes simul vnum in locum coges, narrabisq; illis quæ dictu necessaria sunt, vel tuipse, vel præfecti tui, antiquas illis commemorando victorias, prioresq; felicitates: talibusq; dictis animabis illos. Regis præterea largitatem, studiumq; referendæ gratiæ, præmiaq; benemeritis proposita repetes. Recensenda quoq; mãdata sunt,

reliquæque præceptiones quæ vel abs te,vel à singulis præfectis singulæ turmæ antè acceperunt.

3 Si quosdam ex inimicis contingat ab excubijs capi,vel ad nos deficere,si generoso corpore armatiq; fuerint, exercitui nequaquam ostendendi sunt, sed ad aliũ quempiam locum clanculum amandandi. Sin humiles ac viles fuerint qui defecerunt, vniuerso exercitui monstrabis. Captiuos autem nudos circumduces, mandabisq; vt ab omnibus militibus voce contendant ne ab illis interficiantur, quò militibus nostris omnes hostes miserabiles esse videantur.

4 Hostibus autem iam imminentibus communiq; bello iam expectato,præfectis cohortium præcipies,vt ne excursiones contra inordinatè vagantes milites faciant,sed diligenter obseruent,ne militem vllum ex suis lassatum reddant aut etiam vexent:sed eos qui in aliqua mentis perturbatione aut solicitudine excruciantur,aut opinionẽ alicuius anxietatis afferunt,releuẽt, atq; ad aliquã hilaritatẽ & alacritatẽ traducant. Sin ne sic quidem à mœstitia & mœrore auocari possunt,ad paululum temporis secernes eos, & ad alium locum, iusta aliqua causa adhibita, vsq; ad belli exitum ablegabis, vt ne ad

inimicos transfugientes aliquid indicet, quod minimè patefaciendum fuit. Populares autem atq; indigenæ hostium, quemadmodum suprà ostendimus, longo antè tempore segregandi sunt, neque in bello aduersum suos pugnare permittantur.

5 Quando ad pugnam dimicationémque ipsam venturus es, aduersos casus belli mente pertracta, & illas calamitates quantum fieri potest anteuerte. In primis autem, quemadmodum sæpe à me commemoratum est, dierum aliquot cómeatus pro militibus equisq; proueha tur. Castra munitiora fiant, idoneisq; in locis, vbi aqua omnino defendi potest, ponantur. Curæ tibi quoq; prandium militum sit. Si enim quando communi consilio decretum est bellum incipiet, tum quo tu tempore optimum iudicabis, prandeat exercitus. Sin hoc minimè futurum sit, iam impendente bello, milites manè prandeant, vt magis firmi fiant, & per integrum diem, si tandiu bellũ durauerit, minus viribus deficiantur.

6 Non modò alijs temporibus, verum etiam appetente iam belli tempore, consilium abs te minimè negligendum est, sed turmarchas tuos, & si quem præterea solertem prudétemq; virum iudicas, ad

con-

consilium ex tempore capiendum aduocabis,& de rebus agendis deliberabis.

7 Aduertendus diligenter etiam locus in quo conflictatio belli futura est.

8 Præcipies etiam Præfectis, vt ad primum sonum buccinæ eius noctis quæ diem belli antecedit, equos aquatũ educant, ne si hoc prætermittatur, equorum vires in bello deficiant.

9 Pręcipies etiam, quemadmodum suprà à nobis mandatum est, vt vnusquisq; miles quando ad dimicationem belli procedit, habeat in sellopũgio suo vnam aut duas libras panis, aut farinæ, àut biscocti, aut paxamadij, aut carnis: habeat etiam phlascium in argabia plenum aqua, non vino, aduersus omnes fortuitas res circũstantes & casus necopinatos. Sæpe enim profligatis hostibus, & ad munitionẽ aliquam accurrentibus, obsidendi à nobis diem vnam ac noctem sunt: aut si vsq; ad diem conflictatio producẽda sit, necesse est commeatum afferri, vt ne commeatus penuria res agendæ impediantur.

10 Si aduersus potẽtem nationem bellum futurum est, & in timore aliquo ac demissiore animo exercitus noster fuerit, ne statim apertè ac publicè cum illis confligas, sed ante diem belli cum delectis quibusdam strenuisque militibus,

clàm, & non apertè, illorum partem aliquam adoriaris. Si enim quidam ex hostibus vel omnino interficiantur, vel viui capiantur, exercitus illud fortitudine ac robore effectum iudicabit, & vires colliget, timoremq; deponet, atque adeò paulatim assuefient audaciores esse, & hostes alacrius inuadere.

11 Si hostes te nec opinatò opprimant, neq; id ad vsum tuũ pertinet vt cum illis dimices, vel quia locus asper atq; condẽsus est, vel tempus importunũ, vt, magnis frigorib. aut caloribus, ne tũ coneris cum illis præliari, sed teipsum collige potius, & locũ idoneũ ad castra ponenda quære, & prælium differ donec commoditatem temporis ac loci aliquam habeas: neque committes vt inuitus cum illis confligas. Hoc si feceris, non inimicos fugies, sed incommodum locum deuitabis.

12 Deo victoriam dãte & hostibus profligatis, abstíneant omnino milites à cadaueribus inimicorum spoliandis. Nam cadauera aut impedimẽta aut castra hostium ante perfectum belli exitum inuadere, valde periculòsum ac perniciosum est. Itaq; præcipiendum omnino est, vt istis rebus milites abstineant. Sæpe enim victores talibus de causis non superati, verùm iterũ funditus deleti sunt, hostib.

de-

de improuiſo incurſantibus & periculum inferentibus.

13 Hoſtibus iam appropinquantibus & imminente bello, quemadmodum antè admonuimus, non modò ſi in foſſato, id eſt, caſtris copiæ tuæ fuerint, ibiq; hoſtes expectauerint, fœnũ aut palea vnius atq; alterius diei iumentis reponetur: ſed etiã ſi caſtra moueat exercitus, & ad alia loca commeare velit, atq; aciem ibi inſtruere, fœnum aut paleam vnius diei ſecum ferant, ac in caſtris ſuis reponant: fortaſſis enim pueri & adminiſtri militum ab hoſtibus prohibebuntur eo die exire, & fœnum ſecare, aut pabulum colligere, aut iumenta ad paſtum emittere.

14 Sin hoſtes immineant multi, nõ abſurdum fuerit, quemadmodũ antè diximus, vnumquenq; in itinere faciẽdo frumentari ac pabulari, atq; illud in caſtris reponere. Neq; enim caſtris iam poſitis, pueri & adminiſtri ab hoſtibus, ſi præſertim equites multi fuerint, pabulatum & frumentatum ire ſinentur. Hęc abs te ante belli diem, partim præcipiẽda, partim conficienda ſunt, vt perfectior ac diſpoſitior præfectorũ militumq; tuorũ cõſtitutio fiat. Reſtat vt de ipſo belli die, quidq; perſequendum tibi tuiſq;, & à quib. refugiendum ſit, paucis explanemus.

## *De die belli. Caput XIV.*

HOc ante omnia præcipiendum eſt, vt purus ac ſanctus exercitus tuus ſit, & pridie veſperi preces efficaces ac diuturnæ adhibeantur, omneſq; Deo conſecrentur, verbis factisq; perſuadeantur ſe Deum adiutorem habere, atq; hoc modo ad bellũ puros, ſynceros, alacreſq; procedere.

2 Ipſo belli die ne multum te fatiges, ne laſſitudine ac perturbatione aliqua rerum neceſſariarum obliuiſcaris, neq; cura aut ſolicitudine excrucieris, ſed ſtrenuè atq; alacriter aciem tranſeas, & oratione tua omnium animos excites.

3 Neq; enim manibus cõſertis cum hoſte confligere imperatoris eſt, ſed quę facto opus ſunt prouidere, & idoneo in loco ſtare, vbi aſpicere dimicantes poſſit, & ſolutos ignauoſq; incitet ad alacriter bellum gerendum, atq; afflictæ parti ſtudeat ſubſidijs ſuis, id eſt, lateranis & tergiſtitibus, opem ferre.

4 Si aduerſum ſagittarios bellum copijs tuis ſuſcipiẽdum erit, locorum aſperitates, & pedes lateraq; montium primoſq; cõſcenſus deuita, & ſi fieri poſſit, nequaquam in ea parte confligas, & vel in editiori parte montis copias tuas locato,

cato, vel omnino à monte recedas, & in æquabiliori loco magisq; plano aciem inſtruas, vt ne hoſtes inſidias molientes, ex eminentiore loco in vos inuadant.

5 Nec verò cum hoſtium acie confligas, néue tuam illis aciem commōſtres, priuſquam illorum aciem inſtructam animaduerteris, & illorum inſidias molitionesq́; exquiſiueris.

6 Si loca in quibus cōflicturus es, aperta & campeſtria ſint, & haud ſatis commodè liceat ſecundam aciem tuam occultare, vt ne in itinere faciendo aduerſum hoſtes appareat, eam iam prope primam aciē abducito, vt duæ hæ acies vna ſolùm eſſe hoſtibus videantur: quādo verò ad vnius milliaris ſpatium ab hoſtium copijs abfuerint, tum ſecunda acies paululum ſe retardet, atq; à prima acie ad iuſtum interuallum ſe ſeparet, & ad ſuam formam, quam antè ſecundę aciei deſcripſimus redeat, inde fiet vt noſtræ aciei apparatus quāminimè ab hoſtibus cognoſcatur.

7 Diſceſſiones fugasq; hoſtium diligenter attende, neq; intemperanter propter hoſtium fallaces dolos inſequere illos, ſed ordinatè ac inſtructis copijs, idq́; potiſſimum ſi aliquam certam victoriæ fiduciam habeas.

8 Si ab hoſtibus incurſio quædam in primam aciem fiat, eamq; neq; lateranis neq; inſidijs aduerſum eos ſtructis defendere poſſis, extremas ſecundæ aciei oras aſſumes, illucq; transferes, ſi vno ex latere veniant, ad eam partem: ſin vtroq; ex latere, ad vtranq; partem. Similiter aduerſum eos qui à tergo ſecundæ aciei veniunt, ſi tergiſtites ſatis multi ad illos repellendos nō fuerint, hoc idem facies, ne cæteri diſtracti ad præſidia primæ aciei minus valeant.

9 Si ingens hoſtium fuerit exercitus, & multitudine hominum ac iumentorum adflictus ac penè oppreſſus fuerit, ne coneris eminus iam hoſtibus venientibus, copias tuas ad celſum aliquem locū deducere, ne multitudine conſpecta animū iam tui deſpondere incipiant, ſed humili & cauo in loco eos inſtrue, vbi neq; hoſtes viſuri ſunt, neq; ab hoſtib. cerni poterunt: & quando vno aut dimidio ſigno hoſtes abfuerint, ad excelſiorem locum ducantur, vt cōfligere poſſint priuſquam animo deficere aut lāgueſcere incipiant.

10 Sin talis locus non inueniatur, ſed eminus hoſtes exercitui tuo appareant, copijs tuis ipſa in acie inſtructis dices, nō hominū, ſed iumentorum atq; impedimentorum ibi permagnum eſſe numerū.

Si

11 Si hostibus adhuc minus instructis adoriri eos atq; inuadere potes, maius damnum illis facies.

12 Omnino autem semel atq; iterum consiste, quando ad spatiũ vnius aut duorum milliarium ab hostiũ acie ante bellũ distas, vt exercitus tuus variè instruatur, vt ne securos se putent hostes, quia per exploratores nostras copias antè cognouerunt, & contra eas aliquid molitionis machinati sunt.

13 Si pedestris exercitus non fuerit, militum pueros, id est, administros in castris relinques, & per vniuersum castrorum ambitum ad fossam custodiendam diuidantur, armisq; interiorem eius partem muniant, siue sagittis, siue iaculis, siue funda valeãt. vna quoq; cohors cum illis excubias aget, portasq; castrorum atq; vniuersi ambitus defendet. vnus istis sit pręfectus honestus atq; integer.

14 Neq; tuldum tecum in acie circumferas, si aliter fieri poterit: prompta enim atq; exposita hostibus pręda est, si in bello esse aduertatur.

15 Si proficiscenti tibi de improuiso subita hostium incursio fuerit, neq; castris satis cõmodè & tuto in loco tuldum ponere poteris, tum dextrũ ad latus secũdę aciei obliquabis, ibiq; vnã & alterã cohor

tem quæ ex supeifluis hominibus est,ad eius custodiam segregabis.

16 Si nullum iumentis repositum in castris pabulum habeant, ipso belli die cæteris ad bellum procedentibus,palicaria, id est,administri militum & pręfectorum pabulatum eant ad partem à tergo aciei relictam, & dum bellum geritur quãtum possunt pabuli comparent. Pabulatoribus auté istis dentur banda & signa quædam diuersis & editioribus in locis,vt aduerso aliquo casu incidente,reuocari illis possint,& ad castra cursu contendant, vt ne intercludantur, sed ab hostium impetu seruentur. Hoc propter incerti belli euentum fieri debet. Si enim aduersum aliquid ceciderit, cõmeatum & pabulum in promptu milites si habeant, ad pugnam facilè statim prodeunt,& offensionem acceptam bellãdi strenuitate resarciunt: vel si id minus efficere possint, integris copijs atq; instructa acie, dũ adhuc equi firmi sunt,recedant, priusquam vel animi equitũ magis concidãt,& equorum vires magis labefactentur: quod facilè vsu venit, si commeatus in promptu non fuerit. Nam post offensionem belli,nemo pabulatũ prodire audet, equiq; fame laborantes magnam anxietaté militibus inijciunt: vtile aũt ac salutare consilium

ſilium capi non poteſt, inopia ſimul ac formidine prementibus. Omnino aũt pabulũ iumentorum ad vnũ atq; item alterum diẽ repoſitũ habeãt, eoq́; etiam amplius, ſi paſtiones propè fuerint.

17 Si primo conflictationis die aduerſus belli exitus cadat, quod abſit, inutile nobis, atq; inidoneum eſſe videtur, eodẽ ſtatim tẽpore conari hoc quod amiſſum eſt recuperare, & fuſos ſuperatosq́; ad aliquod publicum prȩliũ redire velle. Neq; verò hoc vt facias conſiliũ tibi darẽ: perdifficile enim omnibus hoc eſt, neq; ſtatim offenſio accepta refutari poteſt. Rarum autem hoc eſt, & Romanis inuſitatũ. Itaq; etiam ſi nihil aduerſum caderet, ſperaueritq́; imperator amiſſam dignitatem ſecundo prælio ſe recuperaturum, multitudo tamen militum ſi cauſam cognoſcat, ad conferendas manus minus eſt habilis: hic enim exitus belli, quaſi diuinitus antè decretus eſſet, magnã animi formidinem perturbationemq́; inuehit.

18 Itaq; ſine graui ac neceſſaria cauſa, ne coneris corãm atq; apertè inſtructis copijs cum hoſte poſt offenſionem belli acceptam dimicare, ſed dolo atq; aſtu, occaſione ſe offerente, conare illos ſubitò adoriri, & iuxta vetus dictum, Poſt fugã, pugnã redintegrabis, vt ad veteris offen-

ctionis obliuionem exercitus veniat,atq; iterum coire in societatem multitudinis, & cogere iustis causis sæpe oblatis se audeat, quas omnes perscribere facile haud fuerit.

19 Sin post offensionem acceptam iterum tamen cum hoste confliges, prima acies quasi antea profligata in secundam aciem conferenda est: secunda autem cũ quibusdam è prima acie delectis viris ad primam traducatur. Nam cum hæc minor prima sit, ipsa per seipsam satis esse non potest.

20 Retardare autem in belli euétu minus prospero haud vtile est, nisi aliqua spes societatis aut alius modus præsidij expectetur: vel, quod sæpe fit, responsio ab hostibus afferatur quam diuulgari necesse nõ sit, sed à Præfectis solùm cognosci. Quòd si fieri statim possit quod ab hostibus proponitur, non differatur, sed sedulò vel iureiurando, vel alio quopiam pacto transigatur. Sin perniciosum & ad contemptum alicuius aut vniuersæ multitudinis contumeliam fuerit, hæc atque illis duriora in vulgus nostrum efferenda sunt, vt exercitus ira concitatus, ac necessitate compulsus, impetuosius aduersum hostes procedat, atq; obedientior præfectis suis sit: quanto enim maior tardatio

fue-

fuerit, tanto magis superati milites formidolosiores erunt, & victores audaciores existent.

21 Priusquam autem vniuersum robur tuorum cõsidat, adhortandi tibi per turmarchas, per decanos, quintanos, milites tui sunt, cõmemorandumq; est illis, non esse iam tempus ignauiæ ac socordię, sed impressionum atq; incursionũ in hostes faciendarum, & quæ clades atq; offensio antè accepta fuit, ea iam virtute ac rebus gerendis delenda atq; obliteranda est. Hæc atq; ijs similia illis narranda sunt.

22 Si spes aliqua est acie instructa prælium recuperari posse, hac via quam suprà dixi procedatur. Sin hoc modo non proficiatur, pro periculorũ ratione optimam sibi viam conquiret.

23 Si peditatus hostiũ vincat, cum equis ordinatè discessiones atq; demigrationes ex eo loco fiant, atq; ita permaneant.

24 Sin equites fuerint, superflua & grauia tum iumẽta, tum alia quæcunq; prætermittẽda sunt, peditesq; constituendi, & sine iumentis equitibusq; vniuersos in duas phalanges siue acies, aut in vnam quadratam oblongam formã instrues, in medio iumenta atq; impedimenta ponas, extra hæc milites in acie, quemadmodum prædiximus, atque vltra eos

ſagittarios:atq; ita diſceſſiones demigrationesq́; tutò facies.

25 Rurſum ſi proſperè ad victoriam bellum inclinet, & Deo iam propitio victor euadis, ne ſola depulſione hoſtium contentus ſis, quaſi imperitus qui tempore vti neſcit:neq; importunum illud audias, Vince, ſed ne nimis vincas : ne ſi lubrico tempore cedas, maiores tibi moleſtias accumules,& incertum rerum futurarum euentum reddas, ſed euerſione hoſtium abſoluta vtendum omnino eſt.

26 Si ad aliquam munitionem hoſtis cõfugit,vel vi & manu, vel alijs quibuſuis formis,hominibus &iumentis, inſtructa acie in ſummas anguſtias coercendus eſt, vel alia quauis conſentiente atq; idonea vtilitate, vſquedum perfectè illum euerteris:neq; tum defatigari oportet, quando paulùm illum repuleris : neq; rei vniuerſæ exitum, propter exiguam amplius laborum patientiã abijcere debes, poſt tantos labores atq; ſudores,poſt tãta belli pericula : quoniam in venatione quod penè effectum eſt, perinde eſt ac ſi nihil eſſet.

27 Militum tuorum ordinis conſeruatio poſt victoriã negligenda tibi non eſt, ſed inſtructis copijs cum ſcientia & attentione militari proſequãtur hoſtes,Impera-

ratorq́; ipſe attendat diligẽter quid facto opus ſit. Neq; enim ad incolumitatẽ veſtram, hoſtiumq́; perniciem potẽtia ſola valet, ſed ſecundũ Dei benignitatẽ, imperatoria ac diligens rerum adminiſtratio, præcipua ac ſummè neceſſaria eſt.

28 Temporibus ac locis idoneè commodeq́; vtaris. Si bellum publicum futurum perſpexeris, omnia loca perluſtrabis, nuda atq; expoſita loca haſtatis tuis eliges. Neq; ſolùm dextræ ſiniſtræq́; poſitę partes perſcrutãdę ſunt omni ex parte aciei vſq; ad belli finem, ſed & finitima loca exploranda ſunt, ne foſſæ vel naturales vel artificioſę ſint, vel dolus aliquis lateat.

29 Ipſo belli die, quemadmodũ prædiximus, excubijs ſimul cum prima luce in quatuor partes illius loci vbi cõflictatio futura eſt diuiſis, aut duo aut tria circũcirca milliaria, præcipies, vt non modò motus hoſtiũ aduertant & ſignificent, ſed etiã eos qui ab hoſtib. deficere volunt perluſtrent, & apud ſe detineant. Hoc modo enim eos qui ab exercitu noſtro aufugiunt, facilè prohibebũt, & eos qui ab inimicis volunt ad nos deficere, cũ omni incolumitate ab aliorũ cõtumelia integros conſeruabunt, ne à quibuſdam malis viris exagitentur: quod abs te erga eos qui

ad noſtras partes profugiũt, quaſi iuſtum & neceſſarium conſeruetur.

30 Quæ in anteriore parte exercitus excubiæ ſunt, ante ſuam partem vſquedũ intra vnius ſagittæ iactum venerint aciei hoſtium ambulent, eamq; ducãt, ne foſſę vllæ ac lacus fiant, aut dolus vllus ſuſceptus ſit, ſuoſq; tum admoneant, ne de improuiſo in aliquod malum veniant.

31 Neceſſarijs locis ac temporibus non modò ſimplices, verùm etiã duplices vigiliæ conſtituẽdæ ſunt, vt ſi quid alteram lateat, ambas latêre non poſſit.

32 Si inſtructa acies, ſi locus idoneus fuerit, ne expectent dum hoſtes eos inuadant, vt ne malũ aliquod ac dolũ machinentur, ſed confeſtim in eos omni impetu ac incurſione ruendum eſt.

33 Si dilatio aliqua cõflictationis habeatur, ſecunda acies in locis condenſis ſyluoſisq; atq; aſperioribus occultanda eſt, vt ne ſi hoſtes longo antè tempore eam animaduerterint, inſidijs alijsq; molitionibus multis appetant atq; inuadant.

34 Quoniam de excubijs mentionem fecimus, oſtendendum quemadmodum hæ firmandæ ſunt. Excubias in duas partes diuides, vt alterę vigilent, alterę vicisſim dormiant. Nemini enim fidem habeas, quamuis receperit ſe integram no-

ctem vigilaturum. Somnus enim ac sopor de improuiso sponte quadam sua opprimunt. Cùm vigilare volunt, recti pedibus cõsistãt: sessiones.n. ac recubationes corpora in somnũ præcipitant: stationes aũt pedum, mẽtem indormientem excitant.
35 Bello iam confecto, qui sauciati fuerant releuandi consolandiq; sunt: qui ceciderunt, honestum funus habeant, laudibusq; multis cohonestẽtur, qui pro fide Christiana, pro fratribus, suam ipsorũ vitam profuderunt. Hoc autem iustum religiosumq; factu est, & alacritatem multam viuentibus affert.
36 Si liberi illis fuerint aut coniunx, si hoc constet strenuè illos atq; alacriter in prælio dimicasse, honestis modis abs te releuandi sunt.
37 Quoniam Romanos omnesq; alias nationes videmus acies suas ita instruere, vt quam maximè eminus cerni possunt, trucem magis aspectum vultu ac facie, quàm armis lucentem & coruscantẽ aciem in bello præ se ferãt: quanquã hoc vmbratile citò euanescit, nam secundum Dei voluntatem, Imperatoris administratione, & exercitus alacritate, bella cõficiuntur: propter eos tamen qui hæc requirũt, si syluosa aut caua loca fuerint, ibi copiæ occultandæ, & longo antè tẽpore

hostibus non ostentãdæ sunt, vt ne si ante vnũ aut alterũ signũ ab hostib. cognoscantur, insidiæ illis doliq; struantur.
38 Si nudus locus purusq; aër fuerit, cassides suas non capite, sed manibus gestent, donec prope hostes venerint: scuta autem parua coràm in pectore ferant, tegantq; galeas & cassides: vel à tergo humeris gestent, si scuta ferrea ac splendida habeant: sed & ferrum hastarum, prædicto modo occultetur: vt arma eminus nullo modo luceant, cùm presertim eiusmodi signo si consignentur hostes, mentes illorum anticipentur, & in formidinẽ quandam ante bellum cadant.
39 Insidias autem occultas atq; abditas eo modo facies, quem tibi antè descripsi. Si enim idoneè opportuneq; fiant, maximas vtilitates in bello afferunt, magnasq; admodum copias ita deleuerunt, vt nullus locus confligendi aciei vniuersæ relinqueretur.
40 Qui enim locorum opportunitate ad hæc abundabant, vel condensis in locis, vel cauis in recessibus, vel in colle aliquo magno, vel vallibus vel montibus finitimis vsq; ad hostium copias productis, vt ab hostium notitia hoc modo occultari possint, & molitiones idoneas struere, insidias suas positas habebãt: isti à ter-

ā tergo hoſtiū de improuiſo irruētes, ante manus conſertas fuderunt eos, & in fugam verterunt.

41 Alij prope hoſtium copias, cùm locum non haberēt idoneum, hoc minimè fecerunt, ſed à latere in medio ſuæ hoſtiumq; aciei eos collocantes, vel à tergo ſuæ aciei obliquantes, maiores copias in inſidijs collocauerunt, & minores ad coràm confligendū cū hoſtib. inſtruxerunt.

42 Alij partem exercitus nō maiorem, ſed minorem in inſidijs locauerunt, conflictatione iam incœpta, fugæ voluntariȩ ijs qui in acie inſtructi erant ſeſe mandātibus, & hoſtibus illos confusè inſequentibus, & locum illum vbi inſidiæ ſunt locatæ tranſeuntibus: qui in inſidijs poſiti erant à tergo hoſtes inuadunt: qui verò antè aufugerunt, teſſera facta quam antè ſibi propoſuerant, conuerſi iterum in hoſtes, inſequuntur eos. Hoc autem ferè plerunq; aduerſus aquilonares homines ſcythicasq; nationes maximè fit, quia cōfuſæ atq; inordinatæ ſunt, vt Turcæ, & qui ſunt ijs ſimiles.

43 Si quis foſſam altam ad octo aut decem pedum latitudinem ſatis longo interuallo effoderit, hācq; lignis tenuibus, ceſpite, fœno atq; aggere cōtexerit, quaſi vna eademq; cum finitimis locis terræ

superficies esset, nihilq; à circunstante terra distet, eductum autem aggerem vniuersum ibi iacere non sinat, ne aliquam nouitatis suspicionem afferat, in medio autem eiusdem fossæ loca quædam firma reliquerit, ad id tempus notata & designata exercitui tuo, & vtrinq; hinc atq; illinc prope fossam insidias abditis in locis clàm collocauerit, & ante fossam reliquos instruxerit, deinde conflictatione incœpta voluntariam fugam, qui instructi in acie sunt, simulauerint, & per cognita firmaq; loca securè transierint, hostes autem impetuosè ac vehemēter insequantur, deinde ij qui fugam simulabant conuersi in eos, alijs in fossam præcipitatis, alijs inopinata hac machinatione in fugam coniectis, magnam partem hostium delebunt, nisi ab hostibus hoc antè animaduersum, vel à quibusdā trāsfugis indicatum sit.

44 Similiter si palis quis defixis fecerit duos aut tres ingressus, securos integrosque relinquens & instructæ aciei cognitos: deinde ante palos eos aciem instruat, & in ipsa conflictatione fugam simulans incitet hostes vt in hos palos ruant, & subitò à latere interuenientes insidiæ, & ij qui fugam moliebantur conuersi, hostes magnopere lædent.

Hu-

45 Huiusmodi etiam dolus aduersus hostes sine fossis & palis suscipit, si quis ferreos tribulos, id est, murices ad tempus vinculis cõstrictos proijciat, qui post vsum expletum cõtrahi in se iterum possint, ad latitudinem centum pedum, ad longitudinem aciei instructæ: in medio quatuor aut quinq; transitus relinquito certorum pedum latitudine, qui exercitui bellaturo noti sint, ramis magnis aut hastarum cuspidibus peregrinis, aut terræ aggeribus ad modũ tumuli aut acerui lapidũ cumulatis, aut alijs euidẽtibus signis non ad initium siue frontem longitudinis horum tribulorum positis, sed ad exitum altitudinis ad vtranq; oram transitus notati. Cõflictatione iam incœpta fugam simulent, & vbi hęc nota signa exercitus transierit, auferantur ea aut deijciantur à certis quibusdam equitibus ad hoc constitutis: insidiæ tũ hinc atq; illinc vtroq; ex latere aduers9 hostes irruãt, vbi iam in hos tribulos irruerint, nec antrorsum aut retrorsum procedere possunt.
46 Hæc fieri sine tribulis eodẽ modo possunt, si quis rotundas quasdam fossas variè dispersas, quas antiqui hippoclastas nominabant, ducat ad spatiũ vnius, ad altitudinẽ duorũ aut trium pedum, & acutos palos defigat in illis: has diuersas &

diſtantes à ſe trium pedum omni ex parte interuallo, fodies ad vniuerſi ſpatij latitudinem pedum centum quinquaginta, ad longitudinē totius aciei interualli. Hoc confecto quando ad conflictationē vētum eſt, par eſt vt prima acies ad vnius milliaris ſpacium ante eum locū inſtruatur, ſecunda poſt vniuerſum interuallum duobus aut tribus ſagittæ iactibus ab eo loco abſit, vt ſi opus fuerit, & qui è prima acie in fugam verſi ſunt, ſecurè per ea loca euadant, eiſdem interuallis ſecunda acies ſine offenſione tranſeat, atque adeo hoſtes inuadat.

47 Quando non ante fraudē hāc apparatā, ſed poſt eam acies inſtruitur, tres ſagittæ iactus ab eo loco acies inſtruatur: & quādo hoſtes vel trāſierint, vel in loco fraudis molitæ fuerint, occurrant illis noſtri, vt pro celeritate equi illorum lædantur. Loca aūt iſtius fraudis opportuna & integra ad tranſeundū, lata admodum relinqui non oportet, vt ne magnus hoſtiū numerus ſecurè nos acriter adoriatur.

48 Hæ rerum aggreſſiones atque doli clàm & à paucis, fidelibusq; hominibus vel ipſo die belli, vel vno antè die, ad veſperā vel noctu fiāt, eo ipſo loco quo bellum expectatur, ibiq; hoſtes præſtolari. Ad hoc tempus aūt quibuſdam ex exer-

citu

titu muniantur, pręcipuè autem signiferis, vt sciant se asseruari: & post banda dēfati ambulent, quemadmodum opportunitas locorum recipit.
49 Hoc omnibus mandandum est, vt in retrocedendo iterum banda sequantur, ne, quod absit, quidam palantes, in has pedicas incidant.
50 Ex ijs prædictis machinationibus omnibus, quemadmodum nos arbitramur, hæ tribulorum machinationes tum facillimè tum obscurissimè singulis in locis fiunt, ideoq; ad locorum naturam acies instruatur.
51 Si tibi vtile videbitur incursiones aduersus hostium aciem facere, ad vnam & alteram cohortem, vel pro exercitus tui numero plures etiam, pręfectosque illorum fortes atq; audaces, prudentes strenuosq; deliges, eosq; ad dextrum latus loci, si idoneus fuerit, vnas insidias contra hostium copias, & ad læuum itidem alias collocabis.
52 Si ab hostibus inuadātur, hic apparatus hostium coërcendus est, neque permittendum illud tempus vacuum esse quo se instruāt. Sin ab hostib. nō inuadātur, ex ea parte vel in tuldum hostium quod ad eam partē locatur, inuadant, vel in extremū agmen & tergus hostium, vel

in cornu, id eſt, partem ambiẽtem extremas oras aciei hoſtium, vt ne hoſtes aut ſecunda acie inſtructa, vel inſidijs poſt copias illorũ collocatis, tuas inſidias ſuis lædant. Inſidias enim tuas quaſi in excubijs eſſe oportet, vt tutò incurſionem hoſtiũ ſuſtineãt, eosq; opportunè inuadãt.

53 Inſidiarũ tempus diligenter aduertas, neq; longo tempore ante aciem inſtructam eas loces, ne cùm pauci in inſidijs ſint, ab hoſtibus opprimantur: nec rurſus nimis tardentur, ne conflictatio ſi aliquandiu antè incœperit, inutiles atq; inanes inſidiæ ſint.

54 Sed dum vniuerſa acies procedit, ipſæ quoq; inſidię ſiue vnæ ſiue duę ſint, aduerſus hoſtes ſe præparent, ſed ita, vt paulùm ante eas, acies procedat. Ex eo fiet, vt acies per loca expoſita ambulans, ad ſe aciem hoſtiũ pertrahat, inſidiæ per latebroſa loca incedentes ſimiliter ſe attrahant, ſeque mutuò ſpeculando, ſignificando, coniectando obſeruent, quíue priores alteros anteuerterint, retardent ſe & præſtolentur eos, vt ſimul quantum fieri poſſit vtræq; tum copiæ tum inſidię hoſtes adoriantur. Inſidiæ autem paulò nunc anteeant, vt quando hoſtes inſidijs cœperint commoueri, acies tum propè adducta confligat.

Hoc

55 Hoc modo si loca idonea fuerint, duobus ex lateribus insidiæ collocandæ sunt, si potissimum magnum habeas exercitum, vt alteræ insidiæ incursantes reprimant, alteræ autem hostes inuadant.

56 Si cùm inuaserint minus secũdè res illis processerit, vel cùm acies tota profligata est, tum illi inuadere cœperint, ne sic quidem retrocedant aut hostes dimittãt; neq; ad secundam aciem veniant, & cum ijs qui se in fugam dederunt, permisceãt, sed eminus cõsistant, illósq; à tergo adoriri atq; inuadere conentur, vt hoc modo à fuga suos retardent.

57 Tutum hoc arbitramur esse, vt qui ad insidias vel ad incursionem à tergo atque à latere alicuius aciei mittuntur, vel ad tuldi custodiam, vel ad celere subsidiũ alicuius partis afflictæ, vel ad tergus aciei custodiendum, siue ad excubias, drungisti magis, id est, simul, confertim, quasi maza, sine ordine instruantur, neq; in longam aciem, id est, ad ordinem cõtubernij aut decuriæ aut quincuriæ, hic enim apparatus splendidior ac illustrior, fortior atq; ordinatior est, & tutò cõflictationes in prælio facit, tardior tamẽ min⁹ flexibilis ad vsum est. Hæc aũt drungisti apparatio, omnia cõtraria habet, & in insidijs facilius latêre potest: minore loco cõtenta,

confestim manus conserere potest: itaq; exercitatione ac vsu exploranda hæc opportunè sunt, & quod maximè vtibile est experiendo teneatur.

58 Sed hoc pro magnitudine exercitus ad hoc emissi, & pro locorum situ fiat. si enim æquales copiæ aut maiores, quàm quæ in conspectu acies instruitur, ad insidias emittuntur, vt vno è loco exeant, tum in contubernia diuidantur: sin pauci emittantur, ijq; ad diuersa loca separētur, tum drungisti siue confertim absque ordine densati ambulent.

59 In ijs enim, quemadmodum dixi, differentia quædam est. Nam quę ordine insidiæ struuntur, fortiter & tutò pugnare possunt: illæ quæ confusæ & confertæ densantur, ad subsidia celeriter afferenda, & persequutiones vehementesq; incursiones ac turbas valent.

60 Hanc igitur idoneam aciem equitum continuatione, quemadmodū prædiximus, ad optimā quantum fieri potest formam traduces, si imperita harum rerum fuerit: sin ea satis edocta fuerit, neq; mandatis belli tempore, neque vlla alia præceptione opus erit: ipsa enim instructio atq; exercitatio vnumquenq; docēt quid facto potissimum opus sit.

61 Omissiores autem quidam atq; imperi-

peritiores, hanc aciem ad instruendum variam & multiplicem esse, atque adeo laboriosam existimant. Hi intelligant, athletas & aurigas, aliosque eius generis homines qui ad lusum atq; oblectationẽ se exercent, qui si assequantur quod cupiunt, mediocrem inde pecuniam colligunt: sin frustrẽtur, dolore quodam haud ita damnoso afflictantur, multum laboris sudorisq; sustinere, magnam inediam cibi, magnas vigilias, irrequietam exercitationis molestiam perferre, vt quę aduersarijs suis offensioni esse possunt, & quæ ad suæ industrię conseruationem valent, cognoscant: quanto maior operosiorq; cura cum omni diligentia prouisioneq; suscipienda est, vt exercitationes bellicæ acierumq; instruẽdarum rationes cumprimis teneantur, vbi si quę offensio fuerit, vel mortem statim, vel deteriorem morte fugam affert, fructus autem ingẽtem lætitiam, magnas cõmoditates, existimationem bonam, memoriam nulla obliuione obscurandam habet.

62 Absurdum enim, noxium & perniciosum est, vno eodemq; modo omnino instrui, & quauis fortuita offensione totius multitudinis hominum periculum existere: neq; eum qui peccauerit potius cognosci debere, quàm reliquos secum

omnes in discrimen pertrahat, quando non multa rerum capita per se agenda sunt, sed aduersariorum consilia orationem nostrã prouexerunt. Atq; hæc nobis de equestri acie dicta sunto: de pedestribus & admixtis copijs iã ea dicemus quæ ipso belli tẽpore opportuna iudicamus, de quib. accuratiꝰ alio loco verba fecimꝰ.
63 Ex ijs alij scutati sunt, qui & graues appellantur. Scutatos igitur ad hunc modum describes. Primùm instrues contubernia siue manipulos cohortis vniuscuiusq;, quænam ad dextrã, & quæ ad læuam præfecti cohortis esse debeant.
64 Procedente præfecto simul cum signifero & buccinatore suo, reliquisq; qui illum sequi cõsueuerunt, procedant primò lochagi siue præstites sinistræ partis, deinde dextræ.
65 Vbi in ipso aciei instruẽdę loco fuerint, consistat præfectus & signifer eius, & qui assolent, cum eo sint. Instruãtur vtrinq; contubernia quemadmodum à nobis præscriptum est, primùm laxiore interuallo, vt ne se mutuò angustijs affligãt, ad sedecim virorum altitudinem, & leues à tergo illorum. Cuspides hastarum sursum spectent, vt ne ab illis impediantur.
66 Ante frontem ambulent campiductor, vel qui loca explorant, & mandator,

alter qui ad loca deducat, alter qui mandata ex Imperatoris sententia det.
67 Cohortibus iam in mœras, drungos, id est, cohortes milliarias & μέρη, id est, turmas adductis, acies vniuersa instruatur, leuesque diuersis in locis constituantur.
68 Sagittarios à tergo vniuscuiusq; cōtubernij, pro numero eorũ qui in contubernio sunt, locabis: id est, singulis sedecim scutatis quatuor leues, vt in quaternarium numerum diuisis scutatis & grauibus, vnus illis à tergo sagittarius adiungatur: sin vsus requirat aciei, in altitudine alternis scutatum & sagittariũ constitues, interdum in contubernia & cornua aciei. Interius equitibus conferes, sæpe etiam exterius, paruo ab illis spacio, paucis cũ scutatis, vt equites exteriores defendant. Si multi fuerint leues, hoc obseruetur. Qui vel rhictaria vel tzicuria vel tale aliquid gestant, vel à tergo contubernij scutatorũ locandi sunt, vel ad summas oras aciei, & non in medio: funditores autem omnino ad summas oras aciei locabis.
69 Ad summas oras peditatus, equites constituãtur: maiores aũt cohortes cum præfectis suis exterius. Et si multi fuerint equites, id est, plures duodecim millibus, ad decem virorum altitudinem contu-

berniorum instructio fiat: sin pauciores hoc numero fuerint, ad quinq; virorum altitudinem apparentur. Sint verò præterea à tergo ad subsidium extrà currus collocati, vt si qui hostes à tergo nostrorum immineant, repellantur: sin minus, ad latera adiungantur: primò autem ad læuã, vt ne impedimento sint vbi tempus fuerit, & forma stationis cõmutanda erit.

70 Equitibus præcipies, ne nimis impetuosè ruant in hostes, neq; à pedestri acie longius discedant, quamuis profligentur hostes, vt ne insidijs ab hostibus structis, aliquo longo interuallo, reliqua acie nudati, vexentur, nempe pauciores: sed si ab hostibus opprimãtur, post aciem confugiant, & currus non transeant: sin ne sic quidem resistere poterũt, ex equis descendant, & pedib. seipsos defendant.

71 Si aciem instruere vis, non tamen eo ipso die prælium committere, & in equites tuos hostes irruerint, & eos sustinere nõ possint equites tui, ne ad cornua aciei & curruum illos pręstolentur: quod si fecerint, maiore in medio interuallo opus est, vt commutatis, quod sæpe fit, equitibus, non angustia premantur, neq; hostium sagittæ illos lædant.

72 Haud ignoramus nos complura ex istis in capite de exercitatione recensuisse:

eſſe: ſed abſurdi nihil eſt, illa eadē in belli apparatione, ijs qui in militia ſunt repetere. Sic enim antea rem totam pertractauimus, vt omnia quæ ad bellum pertinerent, ad exercitationem quoq; aptarentur, niſi quòd ſine ferro tota exercitatio ſuſcipi debet: vnde commemorandi harum rerum gratia non verebimur illis ſimilia iterum recenſere. Non enim hoc leue admodum eſſe putandum eſt, ſed cumprimis neceſſarium.

73 Partes aciei inſtructæ cētum aut ducentorum pedum ſpatio à ſe mutuò ſeparabis, vt ne in itinere faciendo ſemet mutuò adfligant. Conflictationis tempore iungantur & adhæreſcant hæ partes diuiſæ, & ſibi mutuò opem ferant, mediæq; parti, vbi Imperatoris aut alterius delecti Principis bandum locandum eſt, obtemperent. Medium enim aciei locū propterea os & vmbilicū antiqui vocauerunt, vt illi cæteræ partes obtēperēt.

74 Quoniam contrahi & denſari cùm breuius tum tutius eſt, quàm rarefieri & dilatari, minimè initio viarum committendum eſt vt ad ſedecim virorum altitudinem contubernia ſiue manipuli inſtruantur, ſed ad quatuor virorum altitudinē, vt longè amplior hoſtibus videatur eſſe exercitus. & graues laxiores rarioresq;

inambulent. Vſus enim aliquis ſi fuerit, ad octo vel ſedecim in itinere facilè deducentur & addenſabuntur.

75 Si enim addenſata iam contractaq; acie, in longitudinem producenda ea eſt, longo ad id conficiendum tempore opus eſt: & periculoſum eſt hoſtibus iam cominus aduentantibus, aciem in longitudinem producere.

76 Signiferi vſq; ad inſtructam aciem equis vehantur cum pręfectis ſuis, in acie autem pedibus conſiſtere debent.

77 Itaq; neq; plures ſedecim virorum altitudine, quanquam hoſtium acies altior fuerit, inſtruantur: neq; pauciores quatuor, quanquam tenuiores hoſtium copiæ fuerint. Nam plures eſſe ſedecim, inutile eſt: pauciores quàm quatuor eſſe, imbecillum eſt. media autem acies quatuor ſcutatorum ſiue grauium eſt.

78 Summum ſilentium vt in exercitu ſit prouidebis: & cótubernij vniuſcuiuſq; vltimani, ſi ſuſurrum aliquem ſuorum audiuerint, haſtilibus haſtarum ſuarum pungant eos, & in conflictationibus ſiue in prælio ipſo anteriores impellant, vt ne quidam ex illis ignauia retardentur.

79 Ne committas vt longum iter pedites graues ambulent, ſed ſi hoſtes tardauerint & cunctentur, & permanendum

aciei nostræ est, ibi tum diu stare eos non permittes, ne graui armatura presli in prælio lassati inueniantur: sed sedes illis requietemq́; parabis, & quando cominus venerint, tum excitabis eos, vt ne lassati ac debilitati maneant.

86 Neq; prælij tempore ante aciẽ ambulent vlli præter turmarchas, equites, mandatores duos, campiductores duos, cum stratore vno, spathario, id est, armigero vno, quemadmodum à nobis prædictum est, donec hostes propius aduenerint, tum vnusquisq; ad suas partes veniat, & ibi consistat.

81 Si caragum, id est, currus sequi oportet aciem, instruatur vnius sagittæ iactu ab acie, suasq́; partes ordine sequatur: tãtumq́; interualli currus obtineant, quantum acies ipsa occupat, vt ne si eminus ab ea absint, omni subsidio destituantur.

82 Vniuscuiusq; currus extrema pars cilicio tegatur, vt singuli aurigæ altè consistentes & pugnãtes quasi ex propugnaculis & pinnis murorum opem ferant: bouesq́; à coniectis sagittis tuti conseruentur. Currus autem balistarios vel sagittarios vel manganicis alacatijs refertos, per vniuersum interuallum diuides: complures autem ex illis maximè vtiles summis in oris instruas.

83 Aurigas autem vel fundarum vel tzi-
curiorum vel matzuciorum, vel sagittarũ
coniectores esse oportet: interius autem
reliquum ponatur tuldum: vt medio in
loco curruum atq; aciei collocentur, quò
si aliqua occasio sese offerat, in duplicatã
aciem scutati diuidantur, siue equites si-
ue pedites, nullum habeant impedimé-
tum, neq; confundantur si aliquando vis
vlla curribus inferatur.

84 Si magnæ hostium copiæ fuerint, &
à tergo in currus impetum faciant, & au-
rigæ illis vel in duplicatam aciem separa-
ti obsistere nequeant, paucas tribulos si-
ue murices conijcere oportet: quibus
coniectis diligenter obseruandum est, vt
ne per eam viã, sed per aliã viam incedãt
vt offensio omnis tribulorum vitetur.

85 Hoc autem in primis præcipiendũ
est, vt die belli pedestri & permista acie
instructa, si multi equites hostium & lon-
gè supra nostrũ numerum fuerint, & ca-
ragus noster nos non sequatur, ne cone-
ris æquo in loco atq; exposito aciem in-
struere, sed in locis asperis & difficilibus
potius, vt limosis, harundinosis, saxosis,
inæqualibus, condensis.

86 Curabis etiam vt quæ à tergo vel à
lateribus incursiones fieri possunt, hæ,
quemadmodũ sæpe admonui, excubijs
adhi-

adhibitis prouideantur. Quosdam autem scutatos ad extremas oras curruum & in medio collocabis, vt hostib. resistant incursionem vel in currus, vel in aciem, vel in equites facientibus.

87 Si hostibus adhuc in castris & in confusione versantibus, bellū inferre & confligere cum illis poteris, magnopere illos lædes.

88 Multos equites in pedestrib. prælijs ne admisceas, sed in extremis oris aciei paucos ad tria aut quatuor millia equites loricatos atque idoneos constitues, qui si occasio vlla tulerit, profligatos iam hostes insequantur atq; inuadant. In pedestri enim exercitu maiorem equitum numerum ponere haud satis tutum est.

89 Si hostes cùm equites sint pertimescant cum peditibus nostris confligere, multiq; equites nostri fuerint, pauci autem pedites, equites in anteriore parte collocabis, pòst autem pedites ad vnum aut alterum milliare distantes in acie collocabis, equitibusque mandabis longius hoc interuallo se non separent, aut ab acie pedestri recedant. Quòd si ab hostibus premantur, non directè ad aciem pedestrem redeant, sed ad latus se obliquent, & à tergo peditum ad aciem suam perueniant, ne directa declinatione, peditum

instructa acies dissoluatur.

90 Conflictationis ipsius die pedestres copias, quemadmodum à me prædictum est, longum spacium vltra duorum milliarium interuallum à castris non mouebis, ne graui armatura opprimãtur. Quòd si hostes prælij conflictationem distulerint, consideant & requiescant donec hostes cominus fuerint.

91 Si æstas fuerit, cassides suas detrahant, vt capita perflentur. Vino abstineant eo omni tempore, ne efferuescens caliginem cerebro offundat: sed aquam in curribus gestent, & sigillatim aquam singulis dent, quando ordine in acie consistunt.

92 Ante tempus belli pedestres copias vniuersas vno aliquo die coges in vnum locum, quemadmodum equitib. facies: & si nouerunt milites mandata legis, id est, mulctas militares, commonefaciendi horum omnium sunt: sin minus, per præfectos singulos in vnaquaque cohorte sui admoneantur de ijs mulctis quæ belli tempore futuræ sunt: & hæc cum cognouerint, sic ad aciem ipsam veniant.

93 Haud abs re fuerit, breui tibi antiquæ acici instruendæ formam demonstrare, quam in pedestribus & permistis copijs vsurpabant, quando maximè ex-

ercitu magno destituebantur.

94 Vniuersas pedestres copias in sedecim millia trecentos octoginta quatuor viros conferebant: quoniam cum hic numerus ex multis milliaribus numeris conficitur, ad perfectam aciem efficiendam satis valet, & à tanta multitudine diuidi partirique vsq; ad vnitatem potest. atque vniuersam aciem perfectam phalangem vocabant.

95 Hæc phalanx apud eos in duas æquales partes diuiditur, & à fronte phalangis siue aciei æqualiter vsque ad caudam, id est, extremum agmen per vniuersam altitudinem hæc æqualis partitio transeat: & dimidia pars, dextrum cornu & caput appellatur, in qua octo millia virorum, & cētum nonaginta duo viri esse definiuntur: alteram dimidiam partem læuum cornu & caudam nominant, æquo & pari numero cum priore contentam, id est, octo mille centum nonaginta duos viros habentem. Medium interstitium, siue inanis ille ac intermedius locus, vmbilicus vocatur & ostium phalangis, in quo Imperatoris statio est, ad intuendum ea quæ in bello fiunt, & omnia quantum fieri potest diligenter administranda.

96 Vniuersa hæc acies graues vocan-

tur, qui scutis integris & hastis & spathis alijsque armis stipati, grauiorem reliquo exercitu armaturam habent.

97 Post hanc duplicem grauium aciem, leuium acies instruitur, qui multò expeditiorem leuioremq; armaturam grauibus gestant, quia facilè quò volunt percurrere possunt: in quib. iaculatores sunt. Istorum acies dimidia numero esse debet primæ aciei, id est, octo millia virorum & nonaginta duo.

98 Deinceps post hanc equitum, acies armatorum instruatur: horum etiam acies dimidium numeri leuium cõtineat, id est, quatuor millia quadraginta sex.

99 Pedites in quatuor partes instruebant, graues simul & leues, quemadmodum vsus postulat, admiscentes: & ad latera grauium leues in duas partes distribuebant, vel etiam in anteriori parte, quemadmodum Imperatori commodissimum videbatur.

100 Equites in duas distribuebant partes hinc atque illinc, vel à tergo peditum & post eos, vel ad latera, & quemadmodum vsus exigebat. Imperator enim non quemadmodum vult, sed quemadmodũ necessariò cogitur, instruit exercitum. Nam aduersus hostium equitatũ, suum instruet, vt laxum spatium habentes non

impe-

impediantur agere, quę equites par est ad peditum subsidium defensionemq́; facere, siue antè, siue ad latus; siue pòst à tergo constituantur.

101 Melius esset si leues ante grauium aciem, vel, si id necessitas postularet, ad latus instruerentur. Nam si in medio collocantur, inutilia atq; irrita illorum arma fiunt: qui enim iacula vel sagittas vel fundas vibrant, in altum emittere coguntur, & ex eo suos magis quàm hostes lædunt. Tela enim per ante stantium capita deferentur. Funditores autem impedientur, quia iustum spacium ad fundas manibus versandas habere non possunt.

102 Si hostibus plures leues adfuerint quàm nobis, graues præstites antè collocandi à nobis sunt, qui scuta magna atq; oblonga, quos thyreos vocant, ad vniuersi corporis longitudinem tegendam gestent: qui verò ad tergus illorum stant, supra caput anteriorum scuta sua attollentes sic procedant, donec intra sagittarum telorumq́; iactum fuerint: sic enim tecti atque, vt ita loquar, incrustati, nihil mali ab hostium coniectis telis capient.

103 Si hinc atq; illinc nobis leuium subsidium fuerit, ij primi antequàm conflictatio fiat, sagittas & tela in hostes conijciant, vel etiam post incœptam conflicta-

tionem ad latera hostium aciei inuadentes, tela in eos immittant, vt simul & ad latera perturbentur, & coram ex aduerso labefactentur.

104 Si aliqua munitio adfuerit, ea leues admodum iuuabit: nam ad eam concurrentes, in hostes securius atq; audacius tela conijcient: vt si præcipitium aliquod, aut ripa fluuij, aut collis eminens, aut si qua huius generis munitio fuerit. Inter acies autem interuallum quoddam esse debet, vt si leues omnia tela emiserint priusquàm conflictatio esse cœperit, & adhuc cominus hostes magis ac magis veniunt, cum ordinis quadam conseruatione leues redeant; & mediam phalangem pertranseuntes, securè sine offensione ad extremam aciei partem perueniant. Neque enim tutum est vt circùm se per extremas oras aciei obliquent, & sic eò deueniant, vt ne in medio ab hostibus interuenientibus perimantur, neque in arma grauium, densata iam contractaq; acie, incidentes vulnerentur.

105 Alias acies armatas atque instructas habeas, vt quando leues omnia tela coniecerint, tum alij apparati accedant, & loca illorum expleant.

106 Quando altitudo aciei, vsu hoc interdum postulante, ad longitudinem ducitur.

citur & attenuatur, non eousque diducenda acies est, vt vniuersa sine vlla altitudine imbecillis fiat, ne ab hostibus statim circuncludatur: facilè enim continget in bello circundari hostibus, & transitum quoque per medium aperiri, neque anteriore solùm ex parte circumueniri eos, sed etiam irruptione per medium facta, à tergo illos nostrarum copiarum inueniri, atqueadeo magnum damnum hostibus nostris inferre. Hoc autem Imperator diligenter laborabit non modò vt deuitet, sed etiam vt quærat tale aliquid aduersus hostes moliri.

107 Neq; verò sic aciem tuam in altitudinem denses, vt facilè ab hostibus circumueniatur, sed milites ad latus atque à tergo stantes æquè ac præstites armabis, ita enim poterunt hostium circumuentioni magis obuiam ire.

108 Solertis prudentisque Imperatoris est, in eiusmodi locis, si id assequi possit, aciem instruere, in quibus neque circuncludi, neq; vllam aliam offensionem belli accipere possint, quemadmodum à nobis suprà commemoratum est. Multùm enim belli tempore ad vtilitates inueniendas prudentia imperatoria valet, quod diuinæ clementiæ benignitatisque donum ego aio, & arbitror Imperatoribus

P. 4.

à Deo dilectis solere dari, ad virtutē suam amplificandam.

109 Quidam olim tempore prælij hostibus iam meliores partes habentibus falsum quoddam & facetum commentum animo architectabatur, exclamans hostiū imperatorem interfectū esse. Quoniam verò tempus iam instans nequaquam celeriter largiebatur omnibus quid facto opus esset excogitādi, hostes procul ab imperatore cùm essent, & hoc verum existimarent, repentè animo concidebant: milites autem præfecti sic exclamantis magis animati robur colligentes, quasi vera iam fama esset, alacriores reddebantur. Hoc rumore sic disperso, victor euasit qui hunc rumorem iniecerat. Itaque solertia opportunitate rerum capta, persæpe hostes omnes profligat.

110 A recentioribus rei militaris peritis præceptum est, vt hostibus acies tua instructa minus splendida videatur, sed armorum fulgorem vsque ad ipsum belli tempus occultet, propter peruagatam apud alios ea de re famam. Onelander autem in scriptis suis de re militari, contrarium potius præcipere videtur, vt omnino illustris splendidaque acies nōstra hostium aciei videatur.

111 At mihi hic videtur ignorare, talem

rumorem ſolere admodum diffundi, vel ea quæ ante prælium gerenda ſunt omnia prætermittere, & ipſo conflictationis tempore, quemadmodum recentioribus & mihi quoq; videtur, ſubitò & confertim fulgorem armorum demõſtrare: maior enim perturbatio animorum inuehitur, quando non eminus venientium armatorum fulgor aciem oculorũ perſtringit, & conſuetum familiaremque aſpectum habet, ſed quando quę videbatur & putabatur acies valde ſordida eſſe, ea ſubitò & de improuiſo ſplendida atq; illuſtris apparet: hoc enim diuini præſidij ſignum atq; omen hoſtes capient. Vtile autem tibi fuerit Imperator, ipſo belli die aciem tuam, non antè, demonſtrare, priuſquàm illorum copias intellexeris quomodo & quali cum forma inſtruantur.

112 Aliorum in pręlio dimicantium curam habebis, quemadmodum tibi antê explicuimus, potius quàm tu ipſe in periculum aut diſcrimen turbulentius incurras, vbi nulla necęſſitatis vis hoc à te poſtulat: imò verò omnino à manibus conſerendis, & fortitudine tua demonſtranda abſtinebis. Neq; enim ita exercitum adiuuabis prælians, vt lædes moriens, quod in manib. conſerendis ab omnibus expectatur. Si enim ſolo rumore falſo, quem-

admodum antè admonuimus, interfecti Imperatoris, vniuersa natio hostium profligata est, quanto magis vera iam fama, ingens inferetur exercitui tuo, Imperatore interfecto, clades.

113 In tuto igitur collocatus, vide & gere quæ facto opus sunt. Tunc enim maximè Imperator in honore est, quando pro necessitatis celeritate idoneè omnia administrat, & securus quæ fieri possunt consilio anticipat.

114 Si quid opus sit, eo ipso tempore oratione milites animandi sunt, & præmijs, quæ strenuè se gerentibus in regno nostro reposita sunt, excitandi. Admonendi etiam sunt, Dei præsidium nobis adesse: harum rerum signa quædã etiam apparere, quæ nobis diuinitus victoriam portenderent. Alia quoque permulta facies, quæ hic liber hoc loco non recipit: in fine autem libri vbi de diuersis sententijs collectis agitur, inuenies & cognosces quæ tibi ante bellum, in bello, post bellum, vel dicenda vel facienda sunt, vt superior hostibus esse possis. Atq; hæc quidem à nobis quampaucissimis potuimus de rebus in bello gerendis dicta sint. De bellico igitur apparatu tum equestri, tum pedestri, satis planè & breui explicauimus.

## De obsidione. Cap. XV.

DEINCEPS de obsidione, quæ ex antiquis recentioribusq; rei militaris scriptoribus delibauimus, demonstrandum tibi est, quæ agenda tibi sunt, si vel hostes obsideas, vel ab illis obsessus fueris, vt istorum mediocrem peritiam habeas, qua effici abs te possit, vt quę hoc loco memorata non sunt, fieri tamen possunt, vsu omnia tum locis tum temporibus idoneis monstrante, horum non omnino rudis videaris.

2 Obsidio igitur fortem requirit animum, celeritatemq; mentis, & peritiam militarem, & machinationum multarum copiam præparatam, firmitatem in obsidenda ciuitate, castello aut munitione: & multa cum cautione ac diligentia firmitatem hanc parari oportet.

3 Dum igitur aliquid ex prædictis obsides, fossatum munitum reddes, vel fossa alta, vel aliqua exædificatione lapidum, laterum aut lignorum, vel quemad modum optimè excogitare possis ad teipsum ab hostibus defendendum. Excubias multas diligentesq; habeas ijs in locis vbi suspicio minima sit, vt ne obsessi ciues vel externi hostes subitò irrumpentes, vel noctu vel interdiu periculum exercitui

inferant, quod ab obsessis ciuitatibus fieri solet. Nam qui foris obsident, nesciunt quid ciues intus obsessi moliantur: ij autem è muro vident, quid alij contra eos suscipiant. Itaq; exercitum tuum quam tutissimè potes conseruabis.

4 Bene feceris si iuxta portas, aut portulas minutas ciuitatis aut castelli, vel ad vias cęterarum munitionum milites collocaueris qui repentinas hostium incursiones prohibeant. Noctu autem potissimum eiusmodi præsidia habeas, tum enim incursiones maximè fieri solent.

5 Quòd si noctu hanc obsidionem adhibeas, terribilior eris ijs qui intus obsidebuntur: neque enim cùm tenebris omnia circumfunduntur, cernunt quid geratur, magisq́; animo perturbantur, viresq́; illorum elanguescunt: multaque & grauia noctu fieri credunt, quæ adeò ne tu ipse quidem excogitaueris. Quicquid enim noctu fit, quanquam leue sit, obsessis tamen terribilius videri solet, itaque celerius remittunt, & ad deditionem seipsos tradunt. Si enim poteris efficere vt vnus atque alter murum conscendat, qui intus sunt putabunt vniuersum exercitum in mœnijs esse, atque adeo retrocedent, & destituta mœnia relinquent.

6 Ijs in rebus alacritas & strenuitas impera-

peratoria ostendenda est: hæc enim laboriosa obsidionis facta, suis manibus suscipienda gerendaq; sunt. Exercitum enim pudor inuadet, vt ne iam amplius quasi imperatus, sed sua voluntate, quasi amicus, ad res difficiles grauesq; alacrius suscipiendas se ipse impellat.

7 Qui obsidionē inchoat, accuratè considerabit num rerum necessariarum aditum illis intercludere possit, vel aquam, vel commeatum, vel aliquid eius generis: sin istis copiosius abundauerint, tum bellicæ machinationes admoueantur.

8 Perterrefacies admodum hostes, si optimos quosq; milites & præfectos, ætate atque aspectu liberales armisq; fulgentes, ex aliquo loco prope murum aut munitionem, ijs qui obsessi sunt transeundo demōstres: reliquos qui magis plebei fuerint, cum cæteris impedimentis eminus locabis, vt ne hostes vtrum homines an iumenta fuerint planè internoscāt: ita fiet, vt omnia quæ vident, homines esse existimabunt, talesq; quales cominus euntes armatos vident.

9 In primis enim vtile est multos loricatos & cataphractos videri esse obsessis, eosque qui galeas & cassides non habent, aliquo artificio efficere vt loricati & cataphracti esse videantur, vt omnes si tales

esse putentur, magnum timorem obsessis apportet.

10 Castra eminus in longitudinem ponantur, vt omnia quæ videri possunt, ab ijs militibus qui intus sunt cernantur.

11 Primò igitur ijs qui in ciuitate aut in castello sunt significandum est, & ad inquisitionem quandam deditionis proponendum aliquid clemẽs ac facile, vt cum iumentis aut curribus, aut rebus vtensilibus acceptis discedant, vt rei propositæ æquitate & salutis spe animi illorum distrahantur, & ad resistendum periculaq; obeunda omissiores sint.

12 Statim enim à principio dura & grauia proponere, minimè prudentis imperatoris est. Nam molestia & difficultate propositæ orationis, minorem putabunt laborem minusq; periculum, obsideri: ac propterea vna ac firma mente ad resisten dum se præparent.

13 In longis obsidionibus ante omnia commeatum idoneum cæteraque necessaria parabis, vt nulla re defectus exercitus, sine vlla angustia ac perturbatione obsideat.

14 Segregabis etiam ad omnem vsum singulorum negotiorum homines ad ea elaboranda idoneos, assignabisque quis quodq; opus suscepturus sit.

15 Vbi

15 Vbi semel obsidionem tuam inchoaueris, vniuersum exercitum quotidie ad bellum ne ducas, vt ne omnes fatigentur, sed in diuersas partes exercitum diuides, assignabisque qui & quot horas diei elaborabunt: describesque qui noctu & qui interdiu in laboribus erunt. Interdiu enim obsessi bello assiduo successione militum vexandi sunt: noctu autem similiter terroribus quibusdam sunt exagitandi, delectis quibusdam viris ad hoc institutis, quales & quot ad perterrefaciendos eos excogitare possis.

16 Si exercitum tam magnum habeas vt noctu etiam in obsidione versari possis, bene feceris si exercitũ tuum in quot tibi commodum videbitur partes diuidas: & alij quidem certum noctis tempus dormiant, alij inuadant: & qui antè in labore obsidionis versabantur, requiescant: qui dormierunt, ad laborem obsidendi se præparent, vt alternis tum die tum nocte sine vlla intermissione illos vexes, vt ne vel minimam quidem requietem obsessi capiant. Itaq; nimijs vigilijs laborumq; molestijs pressi, facilè adhibitis machinationibus atq; artificijs, vel voluntariè seipsos tradent, vel inuiti capientur, si vel parum omissiores fuerint, propter imminentium periculorum assiduitatem.

17 Ac proditoribus, si qui sunt, in consilio adhibitis, melius & facilius illos capies si eos adoriaris ex inopinato aliquo loco, aut modo per proditores demonstrato.
18 In huiusmodi obsidionum vicissitudine, ipse quoq; imperator paululum & exiguè requiescas, vt ad idoneos labores administrationesq́; tuas vigiles.
19 Si exercitum tuum fortem adhuc & strenuum in plures partes diuiseris, & vnamquanq; partem præparaueris vt scalas ad muros adhibeant, optimè feceris: vndique enim cùm irruptio in obsessos fiat, in magnam anxietatem animorumq́ue perturbationem conijciuntur, tumq́ue potissimum cum præter scalas, alias quoque machinationes adhibueris, vt arietes, testudines, turres, & si quod præterea obsidionale instrumentum fuerit: si enim simul machinationes adiunxeris, & scalas quoque ad muros adduxeris, omni ex parte qui intus obsessi sunt solicitabuntur: si enim reliquorum murorum partes negligant, & aduersus machinationes se totos conferant, qui scalas adhibent, nemine violenter impediente, facilè murum conscendent: sin ad scalas machinationesque impediendas se diuiserint, tum qui obsidionalia instrumenta adhibent,
impetuo-

impetuosiores & vehementiores insultus facient, neq; obsessi poterunt vtrunq; impetum facile declinare.
20 Quæ firmissima sæpe videntur loca, & ad capiendum difficillima, magna sæpe vt capiantur subsidia afferent. Nam qui obsessi sunt, propter opinionem quādam firmitatis ac stabilitatis, huiusmodi loca sine vlla custodia relinquunt. Tu verò solertia tua laboriosaq; industria huiusmodi loca animaduertens, machinationem & artificium facilè inuenies ad huiusmodi loca neglecta capienda, vel scalis quibusdam, vel aliqua violenta ascensione, audacibus viris eò peruenientibus, & munerum promissione ad id faciendum protractis. Vbi enim de improuiso cernunt talia loca occupata esse, animos iam dimittent, & armis abiectis vel salutem petent, vel protinus perimentur. Qui enim per has difficultates locorum murum conscenderunt, vel tuba canent, & terrorem maximum obsessis hoc videntibus afferent, vel postquam ingressi sunt descendent, portasq; militibus qui foris sunt aperient, vel alijs quibusdam molitionibus vt ciuitas aut castellum capiatur efficient.
21 Si ciuitas aut castellum, magnum numerum virorum habuerit, audeantq;

illi ijs qui ingressi sunt obuiam ire & occurrere, altiora atq; æditiora loca conscēdant, vel arcem ipsam ciuitatis occupēt, indeq; propugnātes, hos qui ingressi sunt iterum repellant.

22 Proclamabūt statim, vt nemo quēquam arma non habentē interficiat, sed solos eos qui arma gestant. Hanc aūt rem illorum lingua proclamabis: hoc enim audito, vir vnusquisq; saluti suæ consulens, in ipso terroris periculiq; puncto arma abijcient. Horum resistentium numerus cùm minuitur, obsessores omnino victores erunt: obsessi aūt ad hunc modum intercepti, vbi paruam salutis spem reliquam habeant, supplices obsessorum confestim fiunt.

23 Si diuturna fuerit obsidio, & quosdam extra ciuitatem ceperis, florentes ætate iuuenes, apud te, quemadmodum commodissimū videbitur, retine. Fœminas autem, pueros, senes & infirmos homines ad ciuitatem iterum remittes. Ita fiet, vt inutilis hæc ætas, & alimenta ciuitatis absumat, & obsessos nihil adiuuet, imò potius lædet, & opinionem humanitatis animis eorum qui obsidentur, afferes, vt mentes eorum & sententiæ distrahantur, & occasionem aliquam deditionis facilius quærant.

24. Quem-

24 Quemadmodum in omnibus obsidionibus ingens solet esse tumultus tum vociferantium hominum, tum personantium scutorum, vt ne hac re exercitus tuus perturbetur, vno aut altero milliari ab eo loco castra tuorum ponantur, quò hic sonitus tumultuantium exaudiri non possit.

25 Ne periculosè & inconsideratè irruptiones vllas fieri permittas, ne si aliqui ex tuis occidant, exercitus tuus fracto magis animo sit, & obsessi multò alacriores sint, quod persæpe vsu venire videmus: frequenter enim strenuus miles à muliere fortuita atque imbelli, aut lapide aliquo coniecto, aut testa immissa, aut ligno aliquo delato percussus interimitur.

26 Si parua quædam castella obsideas, & damnosam periculosamq́; inuasionē putes esse, & intelligis commeatu eos non egere, contēde vt illos dies noctesq́; turbes, vt hac perturbatione qui obsessi pauci sunt perpetuò fatigentur, vniuerso exercitu nostro aduersum illos sine vlla intermissione alternis & vicissim dimicante.

27 Si ædes in castello ad comburendum idoneæ fuerint, sagittis igniferis

per multa & varia loca ſparſis, idq́; potiſſimum vento ingenti aliquo flante, incendes. Saxa etiam quadrata igne plena, & manganica alacatia quæ ſaxa emittũt atq; eijciunt adhibebis, & in ædes quæ facile incendium recipiunt conijcies, & dum illi in extinguendo igne occupati ſint, ſcalas tu interea admoue, & milites iubeto eas audacter conſcendere.

28 Sunt autem in obſidionibus diuerſa inſtrumenta obſidionalia, quæ tum antiquiores tum recentiores paulò ante nos excogitarunt, pro loci temporisq́; opportunitate. Neq; enim nunc tempus eſt commemorare, quibus machinationibus obſidebis, ſed temporis commoditas ſingula te docebit.

29 Sunt enim arietes, quibus admotis mœnia rumpuntur.

30 Sunt & turres ligneæ, pellibus aliaq́; materia tectæ, vt igne minimè deflagrẽt: quæ & rotis adductæ ad muros, homines ex alto cum ijs qui in muro ſunt pugnantes habeant.

31 Teſtudines quoq; ad murum adiunctæ, fundamenta eius euertunt.

32 Scalæ quoq; iunctæ vel ad murum adductæ, vel erectis trabibus impoſitæ, & rotis cominus applicatæ.

33 Cuniculi foris à muro longè abſint: intus

intus autem per fundamenta murorum ingreſſi, & terram etiam intra ciuitatem perforent, ſi inæquali loco ſita ea ſit.

34 Atq; vt paucis dicam, aliæ ſunt machinationes, quæ alijs in hiſtorijs, imò verò in libris militaribus potius inuenies, quemadmodũ teguntur, quemadmodũ adducuntur, & ad quæ loca obſeſſorum adhibentur.

35 Iſtarum machinationum apparatus & præparationes non ſolùm abs te fiant, ſed etiam manganiorum & idoneorum hominum ſolertijs, vt & tu quas potes machinationes omnes excogites, & illi artificio ſuo, & experientiæ ſuæ felicitate, tibi opem ferant.

36 Eos qui proditores dicuntur vel ciuitatis vel alicuius firmæ munitionis, vel viæ quæ in hoſtilem terram fert, accipito benignè, & fidem cum illis promiſſaque ſeruato, ſi veri erga te fuerint, non ſui cauſa, ſed aliorum, quos ad te hoc modo inuitare poſſis. Nam qui proditori aliquid tribuit, plus ab eo accipit, potius quàm dat. Neq; enim iudex ciuitatis es, cui iniuria à proditore inferatur, ſed imperator: & multis modis ad tuos conſeruandos & hoſtes ſuperãdos laborare debes. Inſcitum eſt enim, videri nolle in malos homines tali de cauſa beneficium

conferre. Omnia enim opportuna bona sunt. Proditor autẽ quamuis erga hostes tuos malus sit, tamẽ erga te populumq́; tuum bonus esse deprehenditur.

37 Si ciuitas Deo iam propitio tibi subiecta fuerit, aut munitio aut castellũ, vel propter timorẽ obsidionis, vel alia quauis de causa, mitis ac benignus erga illos sis, neq; stipẽdijs illos opprimas, neq; crudeliter minteris, aut aliquo supplicio perterrefacias, neq; iniurijs vllis vexes, sed bonus potius benignusq́; erga illos sis, vt cæteri mansuetudine tua prouocati, voluntariè se tibi subijciant, nullum malum aut incommodum abs te proficisci putantes, quod nõ sustinere & perferre cõmodè possint.

38 Hoc enim Nicephorum imperatorem fecisse nouimus, cum aduersus Longobardorum nationem mitteretur, vt eã in potestatem nostram redigeret. Non solùm enim rebus bellicis aptè instructis, ea natio subiecta nobis fuit, verùm etiam solerti quadam iustitia ac comitate aduersus omnes vsurpata, & libertate illis omnis seruitutis, & reliquorum tributorum condonata.

39 Non enim lucri causa regnum nostrum hostium subiectionem quærit, sed gloriæ nostræ honorisq́; causa, & salutis bene-

beneficentiæq; & libertatis ſubiectorum gratia.

40 Beneuolus igitur ſubiectis atq; imperio tuo parētibus ſi fueris, alios quoq; tibi vt ſe ſubijciant conciliabis: efferatus enim animus & crudelis, ſubiectos tibi in magnam mœſtitiam pœnitentiamq́; ſubiectionis ſuæ adducit, & eos qui nondum tuo imperio ſubiecti ſunt, aliò auocat, & alacriores ad periclitandum de ſua ſalute facit, potius quàm in manus tam crudelis imperatoris veniant: & multum obſidendo laborabis, atq; ad extremum nihil proficies. Sin bonum te intellexerint eſſe, facilè ſe tibi dedent.

41 Rectionis noſtræ benignitatem, bonitatem, & pacem, laudabis apud eos qui per te ſub imperium noſtrum veniunt, ſiue ciuitas ſiue caſtellum, ſiue natio aliqua fuerit, & in miſerationis noſtræ viſcera intueberis, vt mitia ſalutariaque mandata noſtra recipiant atque obſeruent.

42 Non ſine cauſa hoc abs te elaborandum eſt, vt quemadmodum diurna tempora, ſic etiam nocturna ſpatia agnoſcas ex lunæ ſtellarumq́; motu, vt ad horæ promiſſæ tempus ſiue à proditore poſitum, ſiue à teipſo excogitatũ vel in obſidione vel in itinere, certus de pacto

definitoq; tempore eò peruenias. Nam vel celerius vel tardius aliquò peruenire quàm constitutum est, propositum persæpe nostrum interuertit.

43 Ad obsidionē egressus vel pro proditore, vel pro alia quauis ratione, quos in via offenderis, omnes quibusdam equitibus ad hoc præmissis anticipa, vel per milites tuos hoc facias, vt ne per illos incursio tua indicetur: talia enim bellica negocia subitò & de improuiso fiant.

44 Quando enim de improuiso aduersus hostes ruit exercitus, quamuis exiguus sit & hostibus longè minor, tamē propter nec opinatam incursionem hostes multò etiam plures perturbat: atqueadeo si pluribus quàm hostes sunt illos inuadas, poteris antequam ipsi se colligant, in potestatem tuam redigere.

45 Vbi ciuitatem aut castellum aut aliquam munitionem ceperis, & exitum belli felicem habueris, ne sis propter res bene gestas, vel infortunatis hominibus grauis, vel illis qui simul tecum ad bellum profecti sunt. Neque fastu aut arrogantia efferaris, sed humanus, benignus ac comis fias: humanus erga captiuos atq; infortunatos tum eos qui nunc sunt, tum eos quoq; qui abs te aut oppugnandi aut obsidendi sunt: comis erga

pro-

propinquos & amicos. Propinquos enim & amicos, non ad inuidiam mouebis, sed ad imitationem & æmulationem rerum gestarum tuarum excitabis. Eos, quos obsessurus es, obedientiores tibi magisq; subiectos, benignitatis tuæ bonitatisq; spe efficies. Hæc abs te conseruanda sunt, vbi alios inuadens obsidere eos cogitas.

46 Si, quod sæpe contingit, ciuitas aut castellum, aut vlla alia munitio tua ab hostibus obsidenda est, si hoc efficere accessione tua potes, vt illorum consilia conatusq; eleues, Deo gratiæ agantur: sin minus, omnibus rebus eos apparabis atque instrues qui obsidendi sunt, siue ipse necessitate quadam affuturus sis, siue alius quispiam è tuis præfectus prudens & peritus.

47 Primò igitur omnia ad commeatũ necessaria ijs qui obsidione inclusi sunt, præparabis, quod satisfacere illis omne tempus obsidionis possit. Præparata iam rerum necessariarum abundantia, proximum est, vt inutilem omnem ætatem, mulieres, senes, debiles, pueros, ante hostium aduentum è munitione eijcias, vt reliquis qui robusti habilesq; sunt, alimenta sufficiant: tum machinationes quædam ad depulsionem manganorum

ſaxa conijcientium, ab ijs qui obſidentur comparandæ ſunt.

48 Huiuſmodi coniectionibus obijciuntur cilicia pendentia è pinnis extra muros, vel ſarcinæ, vel funes cõtorti, vel pontila, vel ligna prominentia, aut lateribus agger ante pinnas extructus. Arietibus autem telaria, & ſacci pleni palea atq; arena opponuntur.

49 Ad teſtudines, harpages præparandi ſunt, id eſt, ligna magna cuſpidata picata, vt vel auertant eas, vel leuent & nudẽt interiores teſtudinis partes, & in illos ex ſuperiore loco nũdatos inuadant.

50 Pix adſit, qua nudatæ teſtudines incenduntur, & ignis lapideſq; graues acuminati manganis quibuſdam è ſuperiore loco vel funibus vel catenis demiſſi, & alijs quibuſdam ponderibus altero in fine mangani ad ſubleuandos iterum lapides poſitis.

51 Ad turres adductas, ignem & ſaxa eijcientia inſtrumẽta aptabis: ſin hoc modo non proficitur, alias turres vel ex lignis, vel ex alia quapiam materia erigere eos qui intus includuntur, aduerſum eos qui foris obſidẽt, vel aduerſus quaſcũq; illorũ machinationes, alias nouas cõtra illos moliri oportet, quẽadmodũ diligẽter pertractanti animo facilè factu fuerit.

52 Tur-

52 Turres propugnatrices virorũ minimè tectas esse oportet, vt milites liberè ex eo loco pugnare possint, & mangana facilia ponantur & conficiantur.

53 Portulæ autem huiusmodi in turribus ad latus angustæ, dextram in partẽ aperiantur, qua hostium mangana emittuntur, vt pedites è portulis exeuntes, & scutis aptè se tegentes, superioribus adiuti mangana depellere possint. Habeant portas etiam quas tempore claudãt, neq; apertæ maneant.

54 Ad pinnas murorum apponantur ligna grauia admodum, trunci, lapides molares; vt funibus aut catenis hæc appensa in hostes conijciantur, & opprimãt illos. Hoc autem circumcirca murum fiat, neque pinna vlla prætereatur, si fieri possit, quæ non lapidem aliquem pergrauem molarem habeat, vel lignum longum & graue, quod perfringere validè poterit tum scalas, tum illos qui eas conscendunt.

55 Hæ & huiusmodi aliæ graues res per vniuersum murum diuidantur, aliasq; copias in promptu habeant, vt adflictę parti sicubi opus fuerit succurrant, & ne à loco ad locum murorum custodes excurrant, locaq; quædam nudentur præsidijs, quod valde periculosum est.

56 Si dissensio aliquorum in ciuitate aut castello aliquo fuerit, illos pacificare, & in muri pedaturis cum cæteris coniungere oportet: ita fiet vt neque seditionem moliri vel contra rempublicam, vel contra seipsos possint. Cùm enim custodia ciuitatis illis commendata sit, rebus nouis studere erubescunt. Sin hoc fieri nequeat, aliò educantur ipsi, & prouideatur vt ne quid seditionis hoc obsidionis tempore per illos concitetur, aut proditionis aliquid suscipiatur, aut hostibus aliquid perscribatur, aut cum illis communicetur, nisi hæc consilio & autoritate senatus fiant, cui custodia & summa rerum hoc toto obsidionis tempore concredita est.

57 Portulæ ciuitatū fidelibus viris committantur, neq; initijs obsidionis audeāt vlli vel milites vel ciues fidēter extra portas egredi & pugnare, quamuis multi ac strenui intus obsessi atq; inclusi fuerint, nisi si aliqua occasio fuerit mangani periculosè è muro cōturbantis seruādi, aut alia quæuis necessitas quæ ad exeūdum vrgeat: sed omnes ex superioribus locis defendant, & non foris percutiantur aut periclitentur.

58 Si enim tale aliquid fiat, inferiore ex loco viris vel interfectis vel vulneratis,

59 Re-

59 Reliqua turba animo debilitata, facilè superari ab inimicis poteſt. Manifeſtū eſt enim quòd quādiu viri ſeruantur, murus integer conſiſtit: illis iam proditis, reliqua turba in periculo eſt.

60 Si enim propugnaculum aliud habeat vel ciuitas vel munitio, haud abſurdū fuerit excubias ibi fortes & accuratas collocare, noctuq́; potiſſimū, cū vel quidam deficere ad hoſtes ſtudeant, vel inſidiæ clanculum muris ſtrui poſſint.

61 Coniectiones ſagittarū aut lapidum aut telorum, inaniter & temerè è muro ſæpe fiant: ex eo enim fiet vt hoſtes ſe deſpici contemniq́; putent, quaſi inertes atq; ignaui. Sin ex ciſterna aquam habeant potabilem, nō ex fonte aliquo iugē, aut ex piſcina quotidiana exhauſtione minuentem, diuidatur aqua omnibus prouiſione quadam, neq; quiuis fortuitus poteſtatem habeat pro arbitratu ſuo eam abſumere.

62 In reliquo commeatu ſimiliter omnia cum moderatione diſtribuantur, vt & omnibus ſatis ſit, & obſeſſi firmi forteſq́; cuſtodiantur.

63 Excubiæ diligenter & accuratè cuſtodiantur. Obſeruetur etiam cuſtodia quædam commeatus, vt ne facilè à quouis plebeio decipiatur.

64 Præfectus diligenter adhortatione sua reliquos intus obsessos animet, & alacriores ad pericula laboresq; sustinendos faciat, donec vel copijs tuis impulsi, vel alia quapiam de causa concitati hostes ab obsidione discedant. Incursiones quoque quantas maximas potest imperator in obsessores faciat, diuersisq; quantum potest irruptionibus inuadat: rumoresq; dispergat, alium maximum exercitum aduentare: & quæcunq; talia perterrefacere hostes possunt.

65 Hæc quæ à me commemorata sunt obsessus faciat, & alia quædam aduersus singulas obsessorum machinationes præparabit, & ad prædictas hostium machinationes suas adhibens, confestim intelliget quemadmodum aduesum singulas machinationes pugnare possit.

66 Non prætermittam hoc loco quod mihi inquirenti diligenter, cognitum atque inuentum est (quanquam hoc tempore minimè vsitatum frequentatumq; sit) quomodo clanculum & celeriter munitionem aliquam extruere in hostium finibus imperator possit. Considerandus primùm locus aliquis firmus, qui decem aut duodecim diebus arido ligno circumijci possit, si quando grauis aliqua incursio hostium timetur: deinde

si ab-

ſi abundantia aliqua lignorum, lapidum, laterum in promptu ſit, & ſi aqua ibi vel præſtò ſit, vel parari poſſit.

67. Parabis artifices idoneos, portas & mangana murorum, & præſidia idonea peditum armatorum ſtrenuorum, præfectorumq; prudentum ac nobilium: curruum quoq; ſubſidia quaſi ad foſſatũ inſtruendum & firmandum: commeatum præterea trium aut quatuor menſiũ, vel ſi opus ſit vniuerſæ ęſtatis: paſtus vicinos ac finitimos omnes incendes: ſin ad cõburẽdum difficiles fuerint, abſumãt vniuerſos, rumoresq; diſperges, velle te alio in loco incurſionem aduerſus hoſtes facere, & præſidia quædam ad eum locum de quo rumor eſt mittes, vt ibi te expectando hoſtes vexẽtur, tumq; ſubitò ante diem vnum animabis eos qui in hanc munitionem ingreſſuri ſunt, & quædam dona illis ad impellendos eos dabis, quædam verò etiam præterea promittes, ac ſubitò hoſtibus iam alio in loco occupatis, vniuerſo cum exercitu ad definita loca peruenies, & excubias tutas collocabis, & pedites circumcirca munitionem inſtrues, & foſſam altiſſimam, ſi id locus admittat, facies.

68 Si lapides aut lateres ibi fuerint, locum aridum exædificabis, lignisque tutò

ac aſſiduè illigabis : ſin ligna ſolùm fuerint, includendus locus lignis eſt firmandusque.
69 Vbi hic locus ad prædictum modum incluſus fuerit, hoſteſq; eum locũ adoriantur, neq; illorũ impetũ ſuſtinere potes, ante aduentũ hoſtium diſcedes, homines ſatis multos atq; idoneos ibi relinquens : vel propè eum locum caſtra pones, vt neq; propè cùm ſis, præliari cũ hoſtibus cogaris : neq; longius de munitione diſcedas, vt ne opportunitatem hoſtes nacti vehementer incluſos hac munitione inuadant.
79 Signũ aliquod illis certũ interdum dabis, atq; aliud certum noctu, quo cognitũ tibi erit quonam in ſtatu ſint.
71 Si pedeſtri prœlio repelli milites poſſunt, vbi aliqua moleſtia incluſos circũſtat, ne hoc quidem prætermittendũ eſt, vt ne in aliquod periculum veniant.
72 Vbi aliqua ſecuritas iam eſt, paulatim ædificare oportet ſuſceptam munitionem, firmamq; eam ac robuſtam facere, omniumq; neceſſariarum rerum ſuſcipere.
73 Huiuſmodi rerum aggreſſiones idoneè aduerſus equeſtres copias, Iulio, Auguſto aut Septembri menſe ſuſcipiuntur, quando herba omnis arefacta exuſtaq;

ſtaq́; eſt, equiteſq́; hoſtiũ impediantur diu in eo loco conſiſtere.

74 Si defectus hic locus aqua fuerit, neq; natura ibi ſit, neq; in foſſa vlla inueniatur, vel dolia teſtacea vel buttia integra parare atq; aqua explere, & cochlaces fluuiatiles conijcere, quæ illis ad hybernum tempus ſufficiant, ciſternæq́ue ædificentur ad aquam pluuiam excipiendam.

75 Vt ne aqua oleat immota ſtans, ſub vaſis receptacula quædam ponantur, vt paulatim defluens aqua motum capiat: vbi autem completa hæc receptacula fuerint, rurſus in dolia & buttia infundantur, vt hoc motu aqua perflata minimè corrumpatur.

76 Vtile autem fuerit aſſeres præparare craſſiores, & in foſſa eos coniungere, tum ſarpio, pice, ſtuppa, iuncturas omnes firmare nodoſq́ue idoneè aptare, tum ordine quodam ciſternas mediocres apparare viginti numero, decem pedum latitudine, altitudine autem octo aut decem, donec omnes ciſternæ ad aquam omnẽ capiendam habiles fuerint. In maiorib. enim vaſis diutius aqua permanet. Tranſtia autem quædam lignea trabeſq́; ad continenda latera ciſternarũ adhibeantur, vt ne aquæ multitudine

disrupti asseres discedant, aquaq́; omnis effundatur.

77 Itaq; igitur de hac re nobis dictum sit, vt tempore hoc desiderante, huiusmodi apparatum in promptu habeas. De obsidione igitur alijsque rebus hæc sint satis.

## *De incursionibus post bellum.* *Caput* XVI.

RESTAT iam vt quæ post exitum belli futura sunt, dicamus. Si enim exercitū bene instruxeris, Deo propitio speramus victoriam consecuturam.

2 Ac primùm gratiæ Domino nostro IESV CHRISTO agendæ, vel ante victoriam belli aliquid pium promittendum, quod promissum post belli exitum faciendum sit.

3 Deinde perscrutaberis, qui se in bello strenuè gesserunt, illisq́; idoneos honores habebis, ignauos autem quo par est supplicio constringes.

4 Strenuos viros ijs muneribus honorabis: integras armaturas, si quæ claræ illustresque fuerint, ac de bellicis spolijs quæ commoda sunt, illis dabis, honorabisq́; pro dignitate ex æquo ac bono vnumquenq;, vt cohortes milliarias, cohor

tes,

tes, cẽturias, reliquasq; consuetas sub dominatũ tuũ subiectas multitudines. Plebeios milites qui strenui fuerint, minoribus donis, præfectos aũt maiorib. honorabis: ita enim fiet, vt maiori fortioriq; animo sint qui dimicabũt, si ea quæ cupiunt in primis assequantur.

5 Vbi enim honores & præmia habentur bonis, supplicia & pœnæ afferuntur malis, ibi bonã spẽ habebit exercitus: mali enim in formidine peccandi erunt, boni verò vt strenui sint laborabunt.

6 Neq; verò solùm vnicuiq; singulatim viro honores habebis, sed etiam integras cohortes; cohortes milliarias, turmas præmijs decorabis. Res hostium militibus diripiendas dabis, siue apparatus aliquis, siue impedimenta, siue tuldum, siue ciuitas, siue castellum fuerit: nisi, si captiuis rebusq; direptis aliquid melius ac præclarius facies.

7 Quid enim causæ esse potest, cur non è bellicis spolijs strenui milites præmia haberent? Venatores enim cernimus canes suos venationis suæ sanguine inescare, interdum etiam intestinis donare, vt ad persequendas feras alacriores fiant. Ita ante belli exitum si munerabuntur milites, alacrior exercitus ad bellum gerendum fiet.

8 Bellum à pugna differt: bellum enim ab initio vſq; ad finem, & omniũ militũ ceſſationem, multas dicitur in ſe pugnas continere: pugna autem pars quædam quaſi belli dicitur, quæ in vniuerſo bello ſæpe eſt, ſæpe abeſt, quæ tamen finẽ belli non affert: etenim ſępe bis, ſæpe ter, aut etiã frequentius, pro rerũ gerendarũ neceſsitate, in bello confligunt.

9 Inſectationes hoſtium non ſemper poſt pugnam, ſed interdum fiunt, interdum non, quemádmodum neceſsitas belli exigit.

10 Quæ bello capiuntur vendat exercitus: ſin pecunijs aut commeatu opus ſit, omnia ad te adduci iubebis, tuamq́; ac reliquorum præfectorũ cupiditatem ijs pecunijs collectis óbſtrue, & neceſſariarum rerũ inopiam commemora. Atq; ita potes rerum neceſſariarum ac commeatus inopiam ſuppeditare, eosq́; qui in prælio dimicant ſubleuare: ſi potes, pecunia: ſin minus, hoc ſatis fuerit, honoribus & dignitate.

11 Captiuos ante bellum confectum ne interficias, nobileſque in primis ac illuſtres viros: reputare enim debes ancipitem belli exitum, incertosq́; caſus, conuerſionéq; rerũ & victoriæ quã habes. Aut ſi cõtingat aliquos de tuis, aut

caſtellum aliquod capi, illis commutes, & reſarcias obiecta damna, & pro hoſtibus captiuis amicos ſociosq; recuperabis. Sin minus hoc hoſtes voluerint, ex æquo tum & bono illos vlciſceris, ad vexandos hoſtes illos pro arbitratu tuo trucidabis.

12 Poſt res aliquot bene geſtas in prælio, ac dimicationes quaſdam feliciter cadentes, ad epulas & conuiuia & lautiora prandia tum præfectos tum milites partim per te, partim per præfectos, partim per contubernia, ex ijs quæ bello capta ſunt præparabis, atque adeo prandeant hilarenturq; milites: efficies enim vt qui ſtrenui ſunt, ſentientes quibus rebus ac lætitijs poſt victoriam fruentur, alacriores ad omnia ante victoriam ſuſtinenda pericula ſint, & ad labores magis prompti.

13 De ſepeliendis mortuis admodum laborabis, neq; tempus, neq; occaſionem, neq; locum, neq; timorem cauſans. Pulchrum enim piumque eſſe videtur, mortuis ſepulturam parare. Neceſſaria autem cumprimis res eſt ijs qui bello cadunt: pietas enim ea in re monſtratur, & viuentes magnopere hoc facto conſolationem capiunt. Quemadmodum in iſtis fieri videt vnuſquiſq;, ita ſecum futurū

8 Bellum à pugna differt: bellum enim ab initio vsq; ad finem, & omniũ militũ cessationem, multas dicitur in se pugnas continere: pugna autem pars quædam quasi belli dicitur, quæ in vniuerso bello sæpe est, sæpe abest, quæ tamen finẽ belli non affert: etenim sępe bis, sæpe ter, aut etiã frequentius, pro rerũ gerendarũ necessitate, in bello confligunt.

9 Insectationes hostium non semper post pugnam, sed interdum fiunt, interdum non, quemadmodum necessitas belli exigit.

10 Quæ bello capiuntur vendat exercitus: sin pecunijs aut commeatu opus sit, omnia ad te adduci iubebis, tuamq; ac reliquorum præfectorũ cupiditatem ijs pecunijs collectis obstrue, & necessariarum rerũ inopiam commemora. Atq; ita potes rerum necessariarum ac commeatus inopiam suppeditare, eosq; qui in prælio dimicant sublevare: si potes, pecunia: sin minus, hoc satis fuerit, honoribus & dignitate.

11 Captiuos ante bellum confectum ne interficias, nobilesque in primis ac illustres viros: reputare enim debes ancipitem belli exitum, incertosq; casus, conuersionẽq; rerũ & victoriæ quã habes. Aut si cõtingat aliquos de tuis, aut

ca-

castellum aliquod capi, illis commutes, & resarcias obiecta damna, & pro hostibus captiuis amicos sociosq; recuperabis. Sin minus hoc hostes voluerint, ex æquo tum & bono illos vlciſceris, ad vexandos hostes illos pro arbitratu tuo trucidabis.

12. Post res aliquot bene gestas in prælio, ac dimicationes quasdam feliciter cadentes, ad epulas & conuiuia & lautiora prandia tum præfectos tum milites partim per te, partim per præfectos, partim per contubernia, ex ijs quæ bello capta sunt præparabis, atqueadeo prandeant hilarenturq; milites: efficies enim vt qui strenui sunt, sentientes quibus rebus ac lætitijs post victoriam fruentur, alacriores ad omnia ante victoriam sustinenda pericula sint, & ad labores magis prompti.

13. De sepeliendis mortuis admodum laborabis, neq; tempus, neq; occasionem, neq; locum, neq; timorem causans. Pulchrum enim piumque esse videtur, mortuis sepulturam parare. Necessaria autem cumprimis res est ijs qui bello cadunt: pietas enim ea in re monstratur, & viuentes magnopere hoc facto consolationem capiunt. Quemadmodum in istis fieri videt vnusquisq;, ita secum futurū

arbitrabitur si in bello occūbat. Si enim insepultos disiectosq; esse videat, suum secum statum reputabit, hanc contumeliam molestè feret, & mortē quantū potest in prælio refugiet, ne insepultus abijciatur. Sin honores mortuis laudesq; illis qui occubuerunt proponantur, excitabitur magis ad quæuis pericula discriminaq; in bello subeunda.

14 Sin contingat exercitum tuum superari, eos qui discrimina hæc euaserunt, oratione excitabis, & alacres quantum potes illos reddes, & offensionem belli acceptam occultis incursionib. atq; insidijs resarcies.

15 Solent enim homines rebus feliciter gestis ad seipsos conseruandos negligentiores esse: quando enim victos contemnunt, seipsos negligunt. Atq; ita felicitas rei gestę sæpe fortunatos magis quàm victos & superatos lædit.

16 Tu enim qui offensionem belli accepisti, per te ex ijs quæ perpessus es didicisti teipsum de cætero tutum conseruare: ille autem qui rerum prosperitate affluit, aduersam fortunam non sentiens, nulla prouisione & cautione vtitur ad ea declināda, quorum nullum adhuc sensum habuit. Scitum est enim hoc sapientis cuiusdam verbum: Timor opor-

portunus, sedula incolumitas est: contẽptio importuna, insidiabilis audacia est.

17 Si intermissionem belli feceris vel verbis vel pactis & conuentionibus, pacta tua diligenter seruabis, neq; hostes inuades, atq; imparatus aduersus hostes eris, sed quiesce quasi in pace esses, propter inducias cum hostibus factas: apparatas autem copias quasi ad bellum, semper habeto, propter hostium fœdifragas & nec opinatas incursiones.

18 Par est autem vt neque improuidus hoc tempore sis, nec rursus aliquid impium præter inducias Deo teste factas, committas, sed circumspectus sis ad hostium dolos atq; insidias deuitandas: obscuræ enim sunt hostium inducias tecum facientium voluntates. Sed tu sic te geras, vt nullam illis iniuriam pietatis causa facias: hostium tamen perfidiam cauebis, vt ne ab illis, propter impios illorũ conatus, lædaris.

19 Omnia enim ad Dei vindictam referre, synceri animi non est. Non confestim enim diuina vindicta infertur, sed quando omnium procurator & administrator Deus hoc futurum decernit. Quis enim nouit quando iniuriam inferre moliuntur hostes, vtrum illi trucidandi sint, tu verò conseruandus?

20 Licebit igitur nobis eodem modo res nostras firmo in loco stabilire, & impiæ molitionis hostiū securè periculum facere: ita fiet vt prouisione tua, mali nihil accipias, hostesq́; qui malum inferre student, impietatis teneantur, quasi te expugnare conarentur, sed Deus propter fidem induciarum seruatam, minimè id fieri permitteret.

21 Si quis, siue seruus siue liber, nocte aut die, in itinere aut castris, in requiete aut somnio, in balneo aut mensa, aut vllo alio tempore tecum voluerit communicare, ne auerseris illum, sed accerse ad te: qui enim homines reijciunt, & difficiles accessu sunt, & administris suis præcipiunt vt eos qui accedunt repellant, à magnis sæpe arduisq́; rebus gerendis absunt. Hæc tibi post bellum, & si quid aliud vtile excogitabis, obseruanda præcipimus.

## *De nec opinatis incursionibus.* *Caput* XVII.

DEinceps iam quæ abs te gerenda sunt, dum nec opinatas incursiones hostilem in terram facis, & quemadmodum hostiles impetus declinare in tua ipsius regione possis, si quando belli tem-

tempus subitum ac improuisum fuerit, paucissimis quantũ pro hac materia fieri potest, expediam.

2 Antiqua nos oratio hoc docet, quam & prudentissimi imperatores olim seruauerunt, nuncq́ue adeò quicunque seruant, in rebus gerendis florent, & potiores habent, sine nostra offensione incursiones atq; irruptiones in hostilem terram faciendas. Nam aduersus pares numero ac viribus copias persępe hoc valet, atq; etiam aduersum maiores nõnunquam aliquid efficit.

3 Propterea semper atque vbique idoneas occasiones opportunitatesq́; temporum, quæ adiuuare rem nostram possunt, non prætermittes, sed hostes tuos anticipes priusquam parati ad occursum promptiq; esse possunt; illos in primis, quos putaueris tum plures, tum fortiores te esse.

4 Improuisis enim incursionibus, dolis molitionibusque hîc magis opus est, quemadmodum à me suprà dictum est, potius quàm apertis ac manifestis prælijs, è quibus pericula grauissima, ineuitabilia essent.

5 Cùm hi doli diuersi varijq́; sint, istis vtêris idoneè pro temporum, locorum, personarum, rerum opportunitate.

6 Legatis hoſtium ad te miſſis, mollem humanamq́; reſponſionem illis adhibebis, & benignè atq; humaniter dimittes, confeſtimq; illos conſequêris, & opinione citius hoſtes adorieris.

7 Legatos tuos ad hoſtes mollioribus cum verbis mittens, incurſionem ſubitò facies.

8 Interdum etiam hoſtium caſtra, ſiue in tua, ſiue in hoſtili terra coacti fuerint, conſiderabis diligenter, quemadmodum ponantur. Quòd ſi vlla occaſio inueniri poteſt, noctu luna lucente duas aut tres horas ante diem in hoſtes cum ſagittarijs bonis ac multis inuadas: horum enim maximus vſus eſt his temporibus.

9 Vbi cognoueris in itinere confuſos diſperſosque hoſtes ambulare in medio viæ, inuades in eos lædesq́;.

10 Interdum diſceſſionem ſimulans ex ijs locis in quibus verſabaris, ſubitò conuerſus in hoſtes irruptionem facies.

11 Interdum in locis quibuſdam occultans teipſum cum militum multitudine, ſubitò hoſtes inuades.

12 Quidam armenta boum atq; aliorũ animantium exponentes, atq; hoſtes ad horum direptionem inuitantes, vbi viderint ad armẽta diripienda diſſipatos eſſe, ſtatim in illos inuadunt.

13 Aptè

13 Aptè fiunt incursiones, quando in interuallo hostium fluuius ad transeūdum incommodus inuenitur. Hoc solent equites potissimum facere: ibi enim pontem conficiunt vel ex trabibus magnis, quemadmodum mos est multos pontes fieri: vel paruis quibusdam nauigijs, id est, ratibus: turresq; ligneas vel aridorum lapidum, vel ex aggere quodam ad extremas oras pontis excitant, vt quando vsus fert, per eum securè transeant, rursumque discedant quando volunt, vt pro imperatoris arbitratu permaneat pons quādiu ille voluerit, & confligat cum hostibus vel discedat iterum securè, ponte iam dissoluto.

14 Sed in ijs inuasionibus incursionibusque in hostilem terram, neq; incendendæ neq; populandæ eæ partes sunt, per quas iterū redituius es, vt ne teipsum hoc pacto affligas.

15 Huiusmodi etiam pontes fiant in publico prælio, & castra propter tales fluuios ponātur, si altus & minimè permeabilis vlla ex parte inueniatur, vt huiusmodi fluuij ripā habeas ex aduerso hostium, vt sine vllo impedimento & offensione ipso die prælij aciem educas: fugæ autē tempore in castris maneāt securi ac ab omni terrore liberi, neq; cogātur hostibus

iam imminentibus inuiti ac festinabundi pontem facere. Ac propterea castra in ripis ex aduerso hostium ponant.

16 Nocturnæ incursiones ab antiquis imperatoribus excogitatæ sunt: è quibus nos tibi hæc suggerimus, vt vbi ab hostium castris, vnis tantùm castris distas, legationem vnam atq; alteram pacificam ad eos mittas, & spem illis pacis inijciens, illosq; liberos solutosq; à timore reddens, de improuiso in illos irruas noctu ante diem iter ingressus.

17 Interdũ si noctu volueris eos adoriri, dies antè aliquot prope hostium castra ponens quasi ad prælium publicũ committendũ, si tũ simulaueris te timere hostes, neq; propinquius audere accedere castris illorũ, supinos reddes eos & negligentes, atqueadeo noctu inuades.

18 Hoc autem Chaganum Abarorum fecisse nouimus Heraclio imperante, cùm ad Heracliam Thraciæ ciuitatem Romani equites nollent in fossato tutò cum peditibus castra ponere, sed incircumspectè extra castra. Prudenter quoq; feceris si cùm strenuos fortesq; milites tecum habeas, impuleris vnum atq; alterum ad hostes confugere, atque illis narrare magno in timore nostrum esse exercitum: deinde simules te retroire velle, &

ad alium locum paulò ab illis longius castra transferas, & subitò tum noctu hostes inuadas.

19 Nocturnas incursiones in hostes facies peditibus & equitibus, sagittarijs & iaculatoribus, si qui pedites aut equites sunt qui non in fossato castra ponunt, sed sparsim & disiectè cubant extra castra.

20 Has potissimum incursiones in eos facies, qui neque arcus neque iacula habent, sed cominus congredi solent: qui enim arcubus telisq; vtuntur, minus insidijs istis appetendi sunt, nisi dissipati fusiq; castra ponant.

21 Noctes elige tibi ad has nec opinatas incursiones: hoc est, quādo noueris lumen totius noctis satisfacere ad vniuersum iter tuū, vel quando stellæ lucent, vt ne exercitus in tenebris ambulans, afflictus perturbatusq; vagetur.

22 Expeditum paratumque exercitum semper moueto, qui nihil superuacaneum secum gestet. Sic autem pro loci interuallo iter tuum aptabis, vt moderatè ambulando exercitus de via lassus nō sit, sed duas ante lucem horas vno aut altero signo ab hostium castris absis, atque ibi clàm collocabis quietique trades exercitum, vt priusquàm dies illucescat, hostes inuadas.

23 Ad huiusmodi itinera duces viæ habeas, qui accuratè viam nouerunt, vt ne erret exercitus.

24 Summo in silentio sint, neq; buccina personet, neq; tumultus quisquam alius fiat. Sed si signo aliquo ad excitandum exercitum opus fuerit, vel sibilo, vel scuti strepitu, vel voce significetur exercitui, quemadmodum vel procedere vel stare oportet.

25 Vt verò strepitus ac stridor nullus sit, nec in longitudinem aliquam producta acies errorem atque inæqualitatem faciat, quę res clamorem & mandata ad gubernandum exercitum multa requirit, & cognitum hostibus copiarum nostrarum aduentum facit, propterea ne ad frontem, id est, ad latitudinē multam, sed ad cornu, id est, ad directam aciem, quēadmodum in contubernio & manipulò fit, altitudine copiarum studiosè adseruata.

26 Vbi prope hostes venerit exercitus, clàm atque occultè ad requietem dabis exercitū, & pro loci ratione aciem instrue: deinde per duos aut tres dies incursionē facito, non in omnes partes & quatuor latera exercitus, ne obsessi vndique atque interclusi, cogantur in densitatem & contrahantur, sed securitatem habeāt,

pote-

poteſtatemque vna ex parte quà velint aufugiendi.

27 Si multitudinem magnam exercitus tui habeas, vna ſola aut altera buccina ſonet, vt hoſtes te putent paruum habere exercitum, & decipiantur. Sin paruum habeas exercitum, plures buccinæ ſonent, vt magnam multitudinem hoſtium venire arbitrentur.

28 Copias quaſdam conſtitues eo tempore ad manus conferēdas habiles, quęq; ſuos iterum redeuntes excipiant.

29 Incurſiones in hoſtes, ſi equites ſint, tutò facias, quaſi ad publicam pugnam procederes, vt ſi progreſſio tua minus feliciter procedit, ſed hoſtes præſentientes aduerſum te inſtruantur, in ſuſcepto prælio quaſi imparatus aut diſſipatus nō ſupereris.

30 Si hoſtes pedites fuerint, tui autem equites, certum eſt vel te hoſtes læſurū, vel ſine offenſione diſceſſurum, cùm pedites inſequi alios equites non poſſint.

31 Sin equites hoſtes fuerint, oportebit te ad omnes caſus aduerſos promptum & paratum eſſe.

32 Si interdiu aut noctu incurſio in caſtra, in impedimenta, in milites iter facientes fuerit, ſeparatas quaſdam cohortes ad rerum direptionem habere oporte-

bit, vt ne omnibus hac in re occupatis, incursio ab inimicis fiat & periclitetur.

33 Incursiones maiores & absolutas tu ipse per te facies. poteris etiam per turmarchas ad hanc rem idoneos hoc efficere, qui vicem tuā fortitudine solertiaq; sua explere possint.

34 Si ad depopulationem & prædationem hostilis terræ iter sine offensione tua facturus sis, primùm idoneum aptumq; tempus eligito. Hoc autem idoneū opportunūq; tempus erit, cùm si vel confligere cum hostibus cogitas, minus habiles ad resistendum tibi reperientur, vel imparatos vel omissos illos inuenies, quemadmodum antè admonuimus.

35 Ante omnia irrupturus in hostilem terram, commeatus ac rerum necessariarum exercitui curam geres, vel vt aliqua vectura communi, vel vt à militibus singulis deportētur, aut alia quauis certa via tum hominum tum iumentorum pabulum vehatur, vt ne sua in regione hostibus omnia ad commeatum spectantia vastantibus, in magnas angustias tuus adducatur exercitus.

36 Hostili in regione ne coneris nocturna itinera facere, nisi semel, idque clanculū necessitate impellēte, vt hostes lateas, & difficilem aliquē locum munitionis

nis gratia anticipes, vel vt ad alium locum inscientibus hostibus transeas.

37 Primò perscrutandæ perlustrandæq; viæ sunt, deinde tutò ingrediendæ.

38 Omnino elaborandum abs te est, vt quosdam ex hostibus capias, atque ex illis hostium copias consiliaq;, & quid agendum suscipiant, cognoscas.

39 Ad eos qui capiuntur explorandos & examinandos teipsum adhibebis, neq; per alios delectos viros facias. Sæpe enim necessaria quædam præter opinionem incidunt, & ab ijs examinatis proficiscuntur quæ multis patefieri non debent.

40 Ijs qui ad te confugiunt ne nimis facilè credas, neque ijs qui repentina quadam incursione capiũtur: sæpe enim tum qui ad te confugiunt, tum qui capiuntur, permulta falsa loquuntur.

41 Neq; ijs quæ ab vno aliquo dicuntur, sed quæ à pluribus memorantur, credas. Eorum autem consensionem potius attendas qui bello capiuntur, quàm qui voluntarij ad te confugiunt.

42 Eos qui ab hostib. ad te confugiunt, & secreta atque abdita quædam se enunciare velle dicunt, in custodia teneas, aut alia tuta ratione apud te serues: & promittas, si vera loquantur, te illos muneraturum: sin mẽtiantur, mortem minitaberis.

43 Si hostium exercitus cogitur, tuque extra munitionem sis, ne militem vllum ad prædationem direptionemq; hostium mittas, sed primò inuade illos, & si bene belli exitus processerit, ne differas tempus, sed dum in tumultu timoreque fuerint, impressionem in illos facies, donec omnino disiecti dispersiq; fuerint, tuque in tuto ac extra periculum fueris.

44 Sin hostes coacti fuerint, prælium tamen ac dimicationem reiecerint, contende iunctis copijs atq; adunatis aduersum eos prodire, & quæ ante pedes sunt omnia vastare.

45 Si per eandem viam reditio tua erit, neq; alimenta aut pastiones vllę sint præterea, ne tum hæc alimenta quæ ante pedes sunt populaberis, sed vbi reuersus fueris tum potius vastabis.

46 Vt ne aliena in regione erres, in diuerticulis & ambiguis vijs signa pones: si syluæ sint, in arboribus: sin plana expositaque loca, in aceruis lapidum: aut suffossionibus quibusdam paruis notabis, vt qui postea sequuntur ex tuis, minus aberrent.

47 Quos ad prælianduṁ segregaueris atque emiseris, præcipe vt ne omnes prædationibus occupentur, sed diuisi sint, vt alij prædentur, maior pars illorum instructa ad

cta ad custodiam, vel consistat, vel sequatur, siue in regionem, siue in castra hostium, siue in armenta, siue in impedimenta incursio vlla fiat.

48 Hoc autem facies quando vniuersis cum copijs ad præliandum procedis, vt ne omnes simul in prædationibus occupentur.

49 Atq; vbi pabulandi tempus fuerit, alij pabulum colligant, alij apparati instructique sequantur, vt ne si omnes se ad pabulum colligendum conuerterint, & subita quædam irruptio, aut insidiæ fuerint, ipsi imparati sparsiq; opprimantur, quia se reuocare ad ordinem stationemq; suam non possunt.

50 Quando repentinas aliquas incursiones vel contra Scythicas nationes, aut alias huiusmodi gentes facturus es, vt omnia magis suspicione careant, condensa loca difficultatesque regionum speculatori alicui prius perlustrandæ sunt, itaque acies instruẽdæ, vt sciant omnes quæ cohors prima, quæ secunda, quæ tertia esse debeat: atque ita ex ordine ambulent, si per angustias aliquas trãsituri sunt, tum vt ne confundantur, tum etiam vt ne tardius vbi in ordinem adducẽdi sunt, instruantur.

51 Subita incursio aliqua si futura sit,

si per duo loca iter commodum fieri potest, in duas partes exercitus diuidatur, & alteri parti præsit μεράρχης, quem antiqui ὑποστράτηγον, id est, Principem siue proprætorem vocabant, qui etiam turmarcha dicitur. Quotcunque enim & qualescunq; homines fuerint qui incursionem facturi sunt, duos illos præfectos primum secundumq; deliges. Atq; altera quidem pars, quemadmodum antè dixi, expedita & sine vllis impedimentis procedat, & postquam ad quindecim vel viginti milliarium interuallum ab alijs abfuerint, per loca incognita atque ex obliquo posita prædari incipiant, quasi ad imperatorem venire vellēt. Imperator autem reliquam partem habens, aliunde regionis incipiēs irruat & prędetur, atque adeo vtrique cominus ad se mutuò venientes, quæ in medio posita sunt loca depopulentur, donec ad vesperam vnum in locum perueniant. Hoc modo fiet vt tuta incursio in illos fiat, & hostes qui alteram partem aufugerint, in alterā de improuiso incidant, neq; conuenire vnum in locum possint.

52 Si vna tantū idonea via sit, per quam irruptio in hostes facienda sit, hoc modo exercitus diuidatur: Bessis eius aut eo amplius ab hypostratego, id est, principe siue proprętore strenua atque expedita capiatur,

piatur, & sub eo quoq; suum bandum sit: princeps autem assumptis reliquis omnium cohortium suarum præfectis, ante reliquos omnes procedat, atq; vbi primo in loco constiterit, è copijs suis vnam atque alteram cohortem segreget, vt alij prædentur, alij prædatores ab iniuria conseruent.

53 Quamuis spaciosa loca fuerint, ne tamen multas cohortes primis in locis separes: festinante enim à tergo exercitu, nullus locus relinquitur aduersus eos se instruendi, & sine vlla mora princeps semper vlterius progrediatur. Similiter reliquis in locis hoc faciat, quandiu illi cohortes traditæ adfuerint. Principem verò ipsum ante omnes alios procedẽtem, tria aut quatuor banda ad mille virorum numerum secum habeat vsq; ad perfectum rei huius siue incursionis exitum, vt excubiæ cæteris accuratæ, tutæ fiant.

54 Hæc à principio si fiant, tu imperator, aut si quis alius incursionis huius administrationem habeat, sequêris eos qui prædantur, & dispersos congregabis, & vlterius ad principem siue turmarchã progredieris. Similiter ille hoc idem faciat, transeundoq; colligat dispersos prædatores, atq; eodem in loco noctu conueniant & castra ponant. Itaque plus quindecim

aut viginti milliaribus à se separati, huiusmodi subitas incursiones ne faciant, vt eodem die & prędam diripiant, & eadem nocte simul castra ponant.

55 In huiusmodi incursionibus hostes obiectos non vtile fuerit viuos capere & comprehendere, sed omnes tales vel interficiēdi, vel prætereundi sunt, vt ne mora aliqua iter facientibus afferatur, & tempus temere absumatur.

56 Si castellum aut arcem aut munitionem aliquam capere cogitas, ne illud in vulgus efferas, donec in ipso loco fueris, & negotium ipsum in manus sumpseris. Sin necesse fuerit prope munitionem hostium copias tuas transire, vel etiam castra ponere, vnum aliquem præfectum cum expeditis viris in ipso transitu collocabis, qui incursiones hostium prohibeat. Hoc quoque etiam in angustijs locorum fieri abs te debet.

57 Prope munitionem hostium aut syluam ne castra ponas. Sin necesse sit tibi habere castra, accuratè excubias & custodias propter hostium incursiones adhibebis, & diligentissimè prouidebis, vt in exposito & editiore munitioreque loco castra ponas.

58 Quando hostilem in terram ingrederis, apparatum omnem atque impedimenta

menta à tergo te consequi facies: imminentibus autem hostibus in medio exercitus tui ea procedere facies.
59 Ab armatis militibus impedimenta reliquiq; apparatus, atq; etiam captiui, si qui fuerint, separentur: neque in itinere hoc solùm fiat, sed etiam quando castra ponas, ne hostibus aduersum instructos milites venientibus magno impedimento fiant.
60 Hostili in terra mensuratores incircunspectè ad loca anticipanda, sine idoneo pręsidio ne mittas, sed per transfugas qui sponte sua ad te defecerunt, locorum naturam tutò perscrutaberis.
61 Quando exercitus castra positurus est, ne perturbatè aut confusè ad castra fossati transeant, sed si hostes immineant, & pedites exercitui nostro adfuerint, currus omnes ex ordine ponant, & fossas vndique ad modum valli ducant. Expediti autem milites, id est, qui graui armatura non vtuntur, omnes paruo interuallo instructi ab illis distent, tumque apparatus & impedimenta ex ordine ingrediantur in castra: vbi autem excubias vigiliasq; emiseris, tunc armati ipsi ex ordine ingrediantur & castra ponant, quemadmodum tibi in cap. de castris ponendis explicuimus.

62 Sin hostes propè non adfuerint, satis erit vno drungo, id est, cohorte milliaria, instructo, hanc formam obseruari; vt ea quemadmodum prędiximus cōsistente, reliqui castra ponant.

63 Hostibus iam imminentibus atque vnum in locum propè congregatis, si munitio aliqua propè fuerit aut sylua, aut aliqua locorum difficultas, ne equos temerè ad pastum emitti sinas, sed & excubias tutò mitte, equos autem intra valli ambitum retine. Effice autem vt manibus suis quod frumenti pabuliq; est, finitimis in locis congreget, sed ita, vt cum impedimentorum administris omnib. ex partibus armati milites circum illos obambulent, ad subitas hostium incursiones repellendas.

64 Sin vno in loco diutius commoratus fueris; & tempus idoneum locusque similiter ad alimenta opportunus est, hostiumque copiæ eminus abfuerint, equi tum ad pastum emittantur, excubijs duabus aut tribus longo interuallo emissis, frequenterq; commutatis.

65 Si quos ad prædam emiseris, hi soli exeant. Sin quidam ex militibus illis admisti fuerint, propria tua autoritate mandatũ diuulgari facies, vt nemo alius præter eos qui constituti sunt ad prædandum exeat.

exeat. Post hoc mandatum si qui transgressores fuerint, capiantur, & ad suos ipsorum præfectos mittantur, vt ab illis castigentur, ne si hi impuniti sint, reliqui cũ securitate quadam ad prædandum excurrentes, deserant exercitum, atque adeo in periculo exercitus sic relictus sit.

66 Exquisitè diligenterq; prouidebis, vt si vinum aut panis inueniatur, non confestim edant aut bibant, nisi per captiuos prius exploraueris, vtrúmne salubria atq; integra sint: quòd si ita esse inueneris, tũ fruantur illis milites. Sed neq; aqua in puteis aut cisternis aut alijs in vasis nisi exploratò vtantur: sæpe enim veneno huiusmodi inficiuntur; & lethalia sunt.

67 Hordeum enim sępe sic veneno imbutum inueniebatur; & cùm reliquo pabulo deficerentur, milites ad equos asportando, inde pabulantes, equisq; afferentes, complures equos perdiderunt.

68 Præcipies etiam exercitui, quemadmodum in capite de itinere faciendo explicuimus, vt si sæpe tumultus aliquis aut perturbatio in exercitu fuerit, ne huc illucq; exercitus circuncurset & circunferatur, sed illuc ruant omnes vbi tumultus est: ex eo enim fiet vt aduersus hostes parati sint, si quid tale contingat, neq; confusè inter se aut perturbatè misceantur.

69 Excubias quādo in hoſtilem terram immittis, non ſolùm in anteriorem partem emittas, eamq́ue tutam conſeruabis, ſed etiam à tergo expeditos armatosq́ue milites, id eſt, idoneas copias aliquo cum honeſto præfecto inſtructas, (qui νωτοφύλακες, id eſt, tergiſtites nominabantur) ad decem vel quindecim milliarium interuallum cum excubijs accuratis collocabis, propter eos qui vel per infirmitatem, vel alia de cauſa tardantur, & deſeruntur ab exercitu, vt ne hoſtes ſubitò irrumpentes illos intercipiant.

70 Incurſiones enim ab hoſtibus tum fieri conſueuerunt, quando ſecurè & ſine timore tranſeunt hoſtes, & qui anteriore in parte ſunt, poſteriorem partem minus iuuare poſſunt.

71 Hoc ſi noſtra in regione feceris, haud inutile fuerit, multis preſertim huc illucq́ue palantibus militibus, & præter præfectorum ſuorum mentem à ſtatione ſua recedentibus: ex eo enim cognoſces, qui milites in ordine fuerint, & qui à ſtatione ſua recedant.

72 De locorum anguſtijs, & difficilibus ad tranſeundum locis, mentionem fecimus in cap de itinere faciendo, quare de illis iterum verba facere ſuperuacaneum eſt, cùm inde harum rerum petere poſſis cogni-

cognitionem, vt ne temerè & inconſideratè condenſa difficiliaque loca tranſire coneris.
73 Si aliqua neceſſitas impellat, quemadmodum in cap. de itinere faciẽdo præſcripſimus, ea cautio adhibenda eſt ad ea loca prætergredienda, maximè ſi in hoſtili terra fueris, hoſteſq́; immineant.
74 Si hoſtes in terram veſtram irruperint, ne coràm & apertè cum illis dimices, ſi vel maiores vel æquales hoſtium copiæ tuis fuerint, ſed inſidieris potius, ſtructis inſidijs, & alijs molitionibus, ſiue noctu ſiue interdiu, viaſq́; illorum obſtruas, munitioneſq́; anticipes, vel per pedites, vel equites, vel per vtroſque, & pabulum in medio hoſtibus poſitum populare.
75 Si cum hoſte confligere cupis, tum potius facito quando à prædatione redit, quàm cùm ad prædandum diſcedit: tum enim in præda occupatus eſt, & præterea labore laſſatus: idq́; potiſſimum ſi prope tuos fueris, tum enim cum illis confliges, ſi quando tibi videbitur confligendum.
76 Qui enim ſua ipſius in terra eſt, negligentior ad pugnandum eſt, & multas occaſiones habet vel vt ſeruetur, vel periclitetur. Qui verò alienam terram inuadit & depopulatur, ſi in tali perturbatione fuerit, in magnis ærumnis eſt, hoc ſe-

cum reputans, fugam & tergiuersationem non modò periculum, verùm etiam internicionem afferre.

77 Teipsum ab omni vulnere offensioneq; integrum securumq; seruabis omni loco & tempore, hostibus potissimum imminentibus. Hoc enim diligenter obseruato, neq; se hostes ad depopulandam regionem nostram facilè dissipant, neq; facilè munitionem aliquam obsidendo oppugnant. Exercitum enim nostrũ colligi congregariq; vnum in locum existimãt.

78 Quanquam autem constitutum tibi sit minimè te velle cum hostibus confligere, assimulato tamen id te velle facere, & apparanda tibi omnia sunt, opinioque afferẽda tuæ cum illis dimicationis. Hoc autem illi audientes magis excruciabuntur vexabunturq;.

79 Si hostibus vestram in regionem irrumpentibus, locus & situs regionis illorum ad incursionem idoneus est, per alium locum contende magis exercitum ducere; vt hoc modo magis hostes perturbes.

80 Omnino autem, quemadmodum dixi, & situm aduertes & interualla, vt si incursio nostra cognita hostibus fuerit, & impetum in eos conantur hostes facere, exercitus noster per alias vias securus discedat,

cedat, vt ne hostes irruentes in conspectum illorum veniant.

81 Tale quippiam Nicephorus dux noster fecisse memoratur. Nam cùm Apulpher Saracenorũ dux Cappadociam depopularetur, ipse Tarsum vniuersamque Ciliciam vastabat, & multa damna Saracenis inferebat.

82 Hostibus regionem tuam, si id ita contingat, incursantibus, omnia quæ necessaria sunt, ad munitiones, castella, & loca ad capiendum difficilia conferãtur: iumenta autem omnia ex ea parte regionis amandentur, vt ne si ab hostibus capiantur, fortiores hostes faciant.

83 Si plebs res bonaque sua ad loca quæ munita fortiaq; videntur esse, non tamen sunt, adduxerint, prouidentia tua efficiendum est vt ad fortiora munitioraque loca traducantur, vbi secura illis rerum suarum custodia erit.

84 Quæcunque natura minus munita sunt vel castella vel alia loca, firmanda iam sunt: & si partem aliquam exercitus sui ad ea oppugnanda hostes reliquerint, occultè ad repellendos vlciscendosque eos, quosdam emittes, neque hostes permittas liberè pabulari, sed eos qui pabulatum eunt adoriaris, & capias, atque adeo hostes affliges.

85 Atq; hæc quidem de incursionibus, siue tu in hostilem terram irruperis, siue hostes tuam inuadant, satis nobis dictum sit. Nunc alia quę ad militiam pertinent, explicanda sunt, atque hoc in primis, quemadmodum speculatores in hostilē terram immittere, & quemadmodum hostiū speculatores in exercitu nostro clàm latentes exquirere possumus.

DE SPECVLATORIBVS.

86 Omnino tibi hostium copiæ quantum potes cognoscendæ sunt, quanta magnitudine, quantisque viribus sint, atque ita tibi suscipienda administrandaq; contra illos omnia sunt. Nam equestrium pedestriumq; copiarum formæ, locorumq; situs, magnam differentiam virium ac roboris in exercitu habent, & infinitū quendam errorem afferunt ijs qui simpliciter atq; imperitè ista æstimant. Hoc autem quod dico, verum esse quæ sequuntur facilè demonstrabunt.

87 Pone autem sexcentos equites in longitudinem, & quingentos in latitudinem instrui, qui numerus continet trecenta millia equitum: vnumquenque equum loco suo cōstitutum habere, quod ad latitudinem spectat, pedes tres, ex quo fiunt pedes mille octingenti: vnumquemque quod ad altitudinem spectat haber[e]

pede[s]

pedes octo, ex quo fiunt pedum quatuor millia: itaque quadrata in forma propter longitudinem mille octingentorum pedum, & propter latitudinem quatuor mille pedum, septingentæ viginti myriades pedum integrorum: ambitus autem externorum pedum circum per latera, vndecim millia, sexcenti pedes. Et quando sex pedes faciunt vlnam, centum vlnę faciũt stadium, septem stadia & dimidium faciunt milliare, conficitur ambitus vniuersus vndecim millia sexcenti pedes, duo milliaria & sexcenti passus. Hac igitur forma capiuntur trecenta millia hominum, si perfectè addensentur. Sin rariores fuerint, ex densitatis ratione raritatis interuallum reputandum est, atque adeo ex loci spatio multitudinem populi animaduertere.

88 Trecenta hæc millia hominum in simplici extentoq; contubernio instruemus. Vnoquoq; equo in longitudinem aciei instructo, fiunt pedum nongenta millia, quæ in directũ producta, duo millia passuum iuxta perfectę densationis rationem faciũt. Quòd si dispersi dissipatique ambulent, multiplicem longè magis hoc loco locum possident: longeque plures videntur esse, cùm dispersi sunt, quàm si ordinem stationemque suam seruarent.

Sin in deflexo quodam loco eminentioreq́; incedant, longè plures esse putãtur.

89 Itaq; qui ad speciem aliquam pompamq́ue exercitum demonstrant, vel tenuiore cum altitudine instruunt eum, vel eminus fusum dispersúmque. Antiquiores autem rei militaris periti, pedestrem aciem quando instructa est, quatuor cubitorum vnicuique viro spatium dabant. Vbi dẽsabatur acies, duorum cubitorum spatium tribuebant in perfecto συνασπισμῷ, id est, aggregatione militũ, vt cubitum vnum haberet vnusquisque: qua ex mensura vnusquisq; bonus speculator, & ex spacio loci, facilè reputabit non modò equitũ, verùm etiam peditũ numerum.

90 Cùm igitur tanta sit differentia in acie instruenda, atq; in forma exercitus, minimè imperitis excubijs speculatoribusq́; aut fortuitis quibusdã hominib. fides adhibẽda est: minimè enim hoc pcipi vulgò, comprehendique à plebeis potest, idque præsertim si supra ducenta aut trecenta millia hominum fuerint. Ethnicæ enim nationes, equos suosq; arctissimè in acie adiungunt. Itaque peritis viris tali in causa credendum est.

91 Ne nimis præcipitanter dimices aduersus tenues longasq; acies, propter opinionem multitudinis: quãuis enim certa

quadam

quadam cum proportione non collocantur, neq; altitudinem pro numero suo iustam habent; speculatores tamen diligenter altitudinem exquirant, vtrum impedimenta omnia à tergo aciei collocata sint, an soli armati ibi constituti fuerint.

92 Res hostium abs te melius cognoscantur, vel per eos qui ad te profugerũt, vel per hostes qui capti sunt, vel si quis voluerit per angustorum locorum transitum, vel etiam per castra, si contingat illos vno in loco ea ponere.

93 Si hostium fossatum nullum fuerit, in angustioribus locis pro locorum situ paucos homines ad excubias collocabis: sin in æquabilibus expositisque locis diuersas in partes distribuantur, plures ad excubias emittes, tum interuallo locorum distantes, tum continuè se mutuò admonentes, noctuq; potissimum, quando facilè hostis poterit per eum locum quem voluerit clàm progredi, & nec opinatam incursionem facere. Præparabis autem excubias, vt quamuis paucæ fuerint, per interualla tamen locentur, & diuersis idoneisque in locis se mutuò frequenter commutent.

94 Bonorum speculatorum hoc officium est, prudentia & vigilantia, loca motusq; hostium pernoscere.

95 Hi leui atq; expedita armatura vtantur, equosque habeant celeres, vt sine offensione aliqua iter faciant. Exploratores autem siue speculatores securius in hostium copijs castrisq; versentur, vt populares illorum esse videantur. Excubiæ autem fideles sint, & robusta corporis specie, animo alacri atque incitato, armatura splendida etiam reliquis militibus anteeant, vt vel aliqua præclara strenuaque re gesta domum redeant, vel si ab hostibus capiantur, ab illis tamen in admiratione sint.

96 Præfectum excubiarum vigilantem, prudentem, experientem, & non fortuitum quemuis eligas: neque enim tantum fortitudine, quantum prudentia ac vigilantia in excubijs agendis opus est.

97 Speculatores solos emittes hostibus iam eminus existentibus, si volueris vel motus hostium, vel situs viarum, vel locorum munitionem cognoscere.

98 Quando ad capiendos aliquos incursio fit, tum permissos hos exploratores cum excubijs mittes, atque hi quidem antecurrant, expeditioribus locis speculentur, excubiæ sequantur, & ducantur ab illis.

99 Excubias temporib. necessarias non vnas simplices facies vna aliqua ex parte, sed

sed diuersas & pro loci situ, idoneoq; interuallo inter se positas, vt si hostes aliquos illorum lateant, tamen in alios incidentes cognoscantur. Atq; in primis excubijs paucos çollocabis, in secundis plures, in tertijs his etiam plures.

100 Excubijs præcipies vt neque sedeant, neq; recubent, quemadmodum antea alibi præcepimus, vt ne socordiores in re gerenda peccent. Sessio enim & recubatio, somnum maximè afferunt: qui autem hoc faciunt, vigilare non possunt. Sed neque si per totam noctem se vigilaturos recipiant, illis credas: natura enim quod ad se pertinet semper requirit, & tu quod tutissimum facto est facies, si excubiæ alias excubias excipiéntes noctem transmittant.

101 Pedibus omnino excubiæ consistāt: hæc enim pedum statio somnúm depellit, magis vigilantes eos qui stant facit. vbi verò lassati fatigatiq; sunt, commutentur, opportunis descriptisq; horis noctis. Nisi enim diligenter ad vigilandum laborauerint, naturamq; à somno refrænauerint, facilè ab hostibus trucidentur.

102 Itaq; exquirendæ vigiliæ sunt, fideles præfecti mittendi, qui subitò excubias inuadant, & peruideant quemadmodum seruentur, & negligentes puniantur:

quia magnum imperatori sua negligentia inferunt periculum.
103 Prudentes excubiæ quibusdam signis priusquam videant hostes animaduertere, multitudinem hostium ex equorũ collocatione & castris illorũ possunt.
104 Si fossatum feceris aut vallum, & vel fossa circummunieris illud, vel aliqua alia materia, decretumq; est equites intra fossatum deducere, ne longo interuallo ab illis excubias disiunxeris, vt ne importunè equi affligantur.
105 Eis qui ad excubias emittuntur præcipies vt capiant aliquos ex hostibus viuos, si possunt: & quemadmodum in venando, sic conentur & studeant excubias antè agere occultè & clanculum, vt hi quidem qui pauci sunt in conspectum solùm veniant, & discedant iterum, alij autem abditi pro locorum cõmoditate includere eos, si possunt, conentur, atq; vno in loco se tantũ ac si pauci essent demonstrare, alio ex loco cum pluribus clanculũ inuadere, & pernoctent, maximè quando hostes eminus fuerint, & opinionem alicuius talis facti habuerint.
106 Excubias tuas non modò hostes tui, sed ne milites tui, si fieri possit, agnoscãt, vt si quidã profugere ad hostes tuos voluerint, imprudẽtes in excubias tuas incidant.

107 Si hostium speculatores capere studes, communicandum cum reliquis præfectis tuis hoc negotium est, vt vnumquemque militibus suis reliquisque præcipiat ad horam diei secundam aut tertiam, & ad buccinæ primum sonitum, siue miles siue administer sit, singuli ad sua tentoria veniant, nemoque audeat extra tentoria esse, ne supplicio constringatur. Vbi omnes ingressi in tentoria sua fuerint, præfecti foris maneant, & si quos viderint foris, eos comprehendant. Eos verò qui in tentoria ingrediuntur, vnumquodq; contubernium capiet, & suo præfecto tradet. Vnum enim è duobus necesse est fieri: vel vt foris speculator maneat, & nesciat quô se conferre debeat, vel si ingredi audeat cum aliquo contubernio, quasi hospes cognoscatur, & contubernij præfecto tradatur.

108 Omnes autem qui hoc modo inueniuntur, exquiri atq; examinari oportet, siue Romani siue alienigenæ fuerint, atque adeo veritatem ab illis quæri.

109 Hæc res fieri possit in fossatum coacto exercitu vel pedestri vel equestri, vel dispersis diuisisq; separatim castra ponentibus, vel rursus per cohortes castra habentibus.

110 Alijs quibusdam huiusmodi & simi-

libus signis diuersis prædictorum speculatorum comprehensio esse solet, quę necessariò efficienda sunt, vt diuersa signa præceptaque adhibeantur. Simul enim hoc modo speculatores hostium tenentur, & milites præfectis suis obedire assuefiunt & imperata illorum studiosè facere, si vel mediocriter castigentur qui negligentes mandatorum fuerint. Si enim mandatum aliquod detur militibus à præfecto, qui curiosius in hoc inquirit, is speculator hostium deprehenditur, alienus à tessera, & socialis exercitus signo carens.

111 Non abs re fuerit formas & mandata dare militibus quando maximè vacat, vt explorentur milites, atque ad ea custodienda assuefiant.

112 Si speculatores hostium ceperis, ne vno atque eodem modo illos tractaueris: sed si copias tuas hostium exercitu imbecilliores esse iudicaueris, vel interfice eos, vel firma in custodia detine. Sin armaturam habeas bonam, apparatum idoneum, copias multas, robur iustum, firmitatem corporum, obedientem exercitum, strenuos milites, experientiam acrem, omnes copias tuas ordine quodam ad pompam instrues, easq; hostium speculatoribus demonstrabis: quod vbi feceris,

ceris, illos saluos atq; integros ad suos remittes. Nam eò cùm venerint, quæ viderunt omnia commemorabunt. At sæpe omnium rerum exoptata affluentia hostes in timorem cōijcit, quemadmodum si subsidijs omnib. destituerere, magnam illis alacritatem afferret.

113 Quocirca si te meliores multò habere iudicaueris, illos domum abire permittas, vt hæc narrantes perturbationem aliquam hostibus inuehant. Sin deteriore in loco quàm hostes fueris, trucidentur, nec permittantur ad suos redire.

114 Si transfugæ aliqui ab hostibus ad te defecerint, & vel tempus incursionis, vel viam promittunt se monstraturos, & duces futuros, & modis quibusdam haud cognitis ad exercitum hostium ducturos, ne omnino credas illis, sed ligatos eos duces tecum, promittens illis, si verum dixerint, & ad salutem victoriamque exercitus nostri omnia fecerint, se multa dona muneraq; à nobis recepturos: sin mentiātur & deceperint, & in periculum conijcere nostros voluerint, illo ipso tempore ibi in vinculis ab ijs qui in periculum venerint trucidandos esse. Nam transfugæ fides certissima est, tum hostis ad te, tum tui ad hostem, si minimè suijpsius vitæ dominus sit, sed potestatē illius

habeant vel ad quos confugit, vel à quibus aufugit. Atq; hæc quidem de illis nobis dicta sunto.

## De diuersarum gentium & Romanorum studio in aciebus instruendis. Cap. XVIII.

DEINCEPS iam de diuerso studio acierum instruendarum, quibus aliæ nationes, & quibus Romani Imperatores initio vtebantur, verba faciemus, vt ijs cognitis, non modò si opus sit vti possis, sed alia quædam præterea excogites. Solertia enim imperatoria vbi occasionem rerum gerendarum ceperit, non in ijs solùm quæ inuenta sunt consistit, sed etiam multò plura ac sæpe meliora excogitat.

2 Assidua enim aliqua bellicorum motuum exercitatio, vtilitatem permagnam militi apportat: sed ea hostibus facilè indicatur, vel per hostium speculatores, vel per transfugas qui ad hostes defecerunt. Itaque sæpe alia excogitata bene atque exercitata astutia, irrita nulliusque momenti est.

3 Quæ à nobis in capite de exercendis militibus commemorata est exercitatio, ea quoniam simplex est, & ad vniuersam aciem accommodari potest, neque facilè

efferri

efferri hostibus aut diuulgari potest, satis esse militibus idonea & accommodata potest.

4 Sin aliqua opportunitas interueniat ad exercitationem agitationemq; militum maiorem suscipiendam, diuersis formis exercitationibusq́; turmas, cohortes milliarias, reliquasq́ue cohortes agitabis, tum ijs quæ ad vsum necessariæ sunt, tum ijs quæ superuacaneæ sunt: quæ quanquam omni tempore necessarię non sint, interdum tamen vtiles esse solent.

5 Vnicuiq; aciei exercitationiq́ue certa quædam nota adhibeatur, vt qui in quotidiano bellicorum motuum vsu milites sunt, vniuscuiusq; aciei differentiam cognoscant, neq; quasi peregrini aut hospites ignorent, quando aliquid illis agendum præcipitur, quænam potissimùm aciei forma ipso belli tempore ab Imperatore præscribatur.

6 Forma differentiæ acierum triplex est. vna vtilis; qua etiam Romani vti consueuerunt. Ea est, quæ cohortes suas confusè instructas, & non in proclastas, id est, cursores, aut vindices, id est, defensores diuisa est, sed omnes cohortes simul instructas, neque in tres aut in duas partes distributas habet. Qua in parte duobus cornibus, quasi ad circumcludendos

alios, satis iustum spatium capientibus, & ad se mutuò iterum reclinantibus, dextrum cornu exterius, sinistrum autem interius orbiculatim contrariam inter se profectionem obambulent. Qua forma mense Martio equites inter ludendum vtebantur.

7 Alia forma est, quando in acie cursores & defensores instruuntur: cumque hæ partes diuisæ ducentos aut quadringentos contineant, longo interuallo à se distent, & inter mouendum velut facto agmine cursores ad insequendos alios exeant, deinde redeant, interdum quidem per opportuna loca eò dilabantur, & simul cum defensoribus aduersum hostes procedant, interdum per eadem spacia redeant, & in extremis oris duarum partium iidem appareant qui antè in illis collocabantur.

8 Alia forma est, quando vna quædam acies instruitur, & media pars in defensores, reliquæ partes in cursores conferuntur: deinde excursio quædam quasi ad insequendos alios fiat, & media pars quasi defensores consequatur, reliquæ partes vtrinq; quasi cursores exeant, tum in redeundo vna pars cunctatur, & tardat foris, altera quasi facto agmine cedit ad defensores, & rursus procedente iam ea

quæ..

quæ conltitit defenſores verſus, altera in occurſum illius currens per vnam partem tranſit, atque hoc modo vna pars altera ex aduerſo eſſe inuenitur, cùm ſeipſas no pellant.

9 Alia quædam forma eſt huic omnino contraria, quæ mediam partem curſores habet, reliquas vtrinque partes ad defenſores conferat.

10 Conſueta hæc Romanis acies aduerſus omnes nationes vtilis & commoda eſſe videtur, quando acies in propugnatores & ſubſidiarios, id eſt, curſores & defenſores, lateranos & corniſtites, tergiſtites & inſidias diuiditur, quemadmodum ſuprà à me commemoratum eſt.

11 Hæ exercitationes ſic ſuſcipiendæ ſunt, vt ne hoſtibus notæ peruagatæque fiant. Prima igitur acies inſtructa, ſecundam ſimul ſecum aciem non habeat, ſed ſeipſam ſolam, ſine lateranis & corniſtitibus, ſine tergiſtitibus & inſidijs. quæ exercitatio maximè ſimplex neceſſaria videtur: & vice ſecundæ aciei, mediocriter interuallo interiecto, paucos quoſdã equites à tergo conſtitutos habeant, ad quos ſe recipere diſcant. Similiter ſeparatim ſecũdam aciem inſtrues, & paucos antè equites collocabis, vt diſcat ſecunda acies eos fugientes idoneè recipere.

Possunt etiam laterani & cornistites suã quandam ante bellum habere exercitationem, vt hoc modo vniuersus exercitus omnes ad motus assuefiat: hi tamen minimè hostibus aut cæteris palàm fiant. Hoc fiet, si cornistites, id est, qui dextram in partem ad circuncludendos hostes collocantur, siue dextro cornu clàm supponantur, siue à latere æqualiter cum fronte aciei instruantur, vbi occasio cornu transeundi ad includendos hostes est, ad hastam declinantes, deinde vniuersum spatium quantum necessitas postulat inambulãtes, directè iterum in acie moueant, & hostium aciem intercludere conentur.

12 Rursus laterani ad sinistram partem instructi, & ad scuta declinantes, & illud quod opus est spacium ambulantes, rursus directè procedant, & conentur cornistitum aduerso cornu exæquari.

13 Has tibi Imperator acierum differentias idcirco explicuimus, vt opportuno tempore assuefiat istis exercitus tuus, & maiorem bellicorum motuum peritiam habeas, vt multis necessarijs rebus sæpè circumstantibus, vtilis horum vsus interdum inueniatur.

14 Alias autem diuersas acierum formas quę abs te ad tui exercitus apparationem, vel ad hostium expugnationem suscipiẽdæ

dæ ſunt, tibi explicuimus, quæ à diuerſis nationibus Romani ad vſum ſuum acceperunt, vt eas idoneis temporibus poſſis ad vtilitatem tuam vſurpare, interdum etiam hoſtibus iſtis vtentibus, aduerſus illorum molitiones aliquid cōtrarium excogitare.

15 Neq; verò tu Imperator ſolùm bonus & amans patriæ, & ad propugnandam Chriſtianorum fidem vitam profundere, ſi ita vſus ferat, paratus ſis, ſed & omnes præfectos tuos & ſingulos milites ſic tractabis, vt qui tales ſint hoc in ſtatu permaneant: qui non ſint, induſtria ſtudioque tuo adducti, huiuſmodi virtutes non negligant, ſed ſiue amore, ſiue timore impulſi, patriæ amantes & præfectis obedientes ſint.

16. Sint laborum patientes, & ad bellum pro patria ſuſcipiendum parati.

17 Tu verò hoc eodem cum illis animo ſis, & prudētia quadam imperatoria, non temeritate aut audacia res tuas adminiſtres, atq; aciem militum inſtruas.

18 Aſſuefiant omnes qui propter CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, & cognatorum, amicorum, patriæ, & vniuerſæ Chriſtianę plebis gratia bellum ſuſcipiunt, facilè ſitis turbulentiam, famis inediam, frigorum calorumque appulſus

tolerare, & omnes ingrauescentes rerum perturbationes æquo animo sustinere: nanq; est horum laborum officiorumq; vestrorum reposita apud Deum merces, & apud nos quoq; remuneratio. Quanquam etiam nos vestri causa soliciti sæpe sumus, & in vestris ærumnis simul earundem miseriarum participes sumus.

19 Si aliquid aduersum hoc tẽpore contingat, ita te para, vt ab hostibus occultetur, & in rebus adflictis circumstantibus constanti altoque animo esse videaris, & contrarium potius demonstres, te hilarem vacuumq; à cura esse.

20 Quædam enim nationes, in quibus Persæ fuerant, cùm aduersus Romanos pugnabant, atque in aliquod periculum inciderent, ne salutem quidem quam exoptabant sibiipsis proponere volebant, sed eam ab hostibus propositam accipiebant: tanta erat in illis malorum ac grauium rerum perpessio.

21 Vt verò quæ antè demonstrata sunt paucis repetamus, exercitum tuum armis teges ad formam à me antè descriptam. In primis autem arcubus sagittisq; plurimis: magna enim arma atq; efficacia sunt sagittæ, & præcipuè contra Saracenos ac Turcas, quoniam spes omnis victoriæ illorum in sagittis ponitur.

22 Etenim ad sagittarios illorum ferien dos valent, qui nudantur cùm sagittas iaciunt. Sed etiam ad equos equitum vulnerandos magnopere valent sagittæ à nostris hominibus emissæ, multumq; damni inimicis inferunt, optimis equis continua sagittarum coniectione trucidatis: qua ex re omnis Saracenorum strenuorum alacritas in bello concidit.

23 Non enim seruitute & militia vlla, sed lucri & libertatis cupiditate, vel potius prędandi studio, & suæ ipsorum fidei aut infidelitatis potius religione quadã, qua de causa mala patiuntur à nobis, & Deum putantur hostem habere, & offensionem iniectam non posse sustinere.

24 Quando ad bellum procedis, extra fossatum firmum ne castra ponas, si vel intra vel prope hostilem terram fueris. Quando verò bellum iam instat, fossam vndique ducito ad valli formam, reliquaque præsidia omnia adhibeto, vt eò confugere possis, si aliquid aduersum in bello cadat.

25 Demõstrabo etiam quemadmodum orationę potero, reliquas in bello acierum instruendarum formas.

26 Est quædam etiam aciei forma in tres æquales partes in bello diuisa, cuius suprà mẽtionem feci, mediam, dextram,

& ſiniſtram. In media parte habet quadringentorum aut quingentorum virorum multitudinem. Altitudo huius aciei nullam certam menſuram habet, ſed equites vnaquaque in cohorte tum prima tum ſecunda in acie collocantur, & aciei frons æqualis denſataq; eſt. Apparatum & tuldum à tergo aciei inſtructæ habet. Quòd ſi tempore prælij, qui ita aciem inſtructam habet, hoſtes habeat haſtatos, in difficilibus aſperisque locis aciem ſuam inſtruat, ac ſagittarijs quamplurimis vtatur, vt locorum difficultate diſperſi diſſipatique, non facilè aut liberè impetus haſtarum valere poſſint.

27 Quòd ſi intelligat aduerſum nationem bellicoſam pugnandum eſſe, non modò ante diem belli differat & reijciat prælium quantum poteſt, ſi illos in bello fortiores valentioresque ſe eſſe putet, ſed etiam in tuto firmoque loco ſecurè caſtra ponat.

28 Ipſo quoq; die belli, ſi æſtas potiſſimum fuerit, ipſo diei feruore bellum differas, & in ipſo veſperæ calore cum illo confligas, vt Solis ardore & temporis ipſius æſtu, audacia ferociaque illorum reprimatur.

29 Huic formæ quam ſuprà deſcripſimus, opponitur pedeſtris acies diligenter

inſtru-

instructa & locus æquabilis atq; expositus, propter hastarum impetum & conflictationem cominus & confertis manibus habitam, & sine vlla intermissione: quia inutiles cominus coniectiones sagittarũ fiunt, & sagittarij neq; hastas neq; scuta habent.

30 Si in prælio commisso depulsio depressioq; fiat, & in fugam conuertantur, magnopere ex eo lædentur, nisi subitæ conuersionis & inuasionis iterũ in hostes repellentes artificium habeant.

31 Incursiones autem & circumuentiones per cornistites à lateribus atque a tergo factæ valde eos lædent, nisi in acie lateranos egregios habeant, qui magnam incursionem repellere possunt.

32 Atque ideo, quemadmodum diximus, in talibus prælijs & aciebus instruendis, loca æquabilia, exposita & plana eligenda sunt, quæ neque paludes, neque fossas, neque arbusta habeant, vt ne acies dissipetur.

33 Parato iam instructoq; exercitu & ad præliandum in die belli cõuerso, ne cõflictationẽ ipsam differas, si tibi decretũ est eo die prælium committere.

34 Conflictationes ipsas vel processus ad confligendum, pro ratione sagittarũ æquales, densas & celeres facere opor-

tet, vt ne tarditate procedendi, continuæ & plures sagittarum coniectiones tū milites tum equos magis vulnerent.

35 Sin aliqua necessitas vigeat vt difficiliore in loco prælium cōmittatur, haud abs re fuerit quosdam pedestri in acie collocare, quosdam ex equis, vt ne omnes cū equitibus, in hac locorum inæqualitate admisceamus.

36 Hastarum autem aduersus sagittas dimicationes, si inæqualia præruptaque loca fuerint, magnas offensiones in bello accipiunt, atq; ad confligendum impediunt: itaq; planis expositisq; locis hastati ad dimicandum egent.

37 Sin se ad bellandum cum hostibus minus habilem esse Imperator intellexerit, non publicis prælijs cum eo confli-ctari, sed incursionibus & impressionibus nec opinatis, & locorum opportunitate ad furtiuas insidias & aggressiones hostium vtatur: neq; causa cur bellum differatur, vel suis vel hostibus patefiat, vt ne ex eo hostes animentur ad prælium, tui à prælio abstrahantur.

38 Reuolutiones, id est, conuersiones & reuersiones in discessionibus, non manifestè atque ex aduerso hostium fiant, sed ad latus se obliquando conuertant, atq; iterum à tergo illos intercipiant: quidā

enim ex hoſtibus, vt Perſæ, cum aciem diſſoluere nolint, facilè terga ſua obuertũt, ijs qui contra eos conuerſi ſunt, & quaſi fugiendo pugnant.

39 Nam qui diſcedunt & ſubterfugiunt, ſi conuerſi voluerint ex aduerſo hoſtium ſe obijcere illis, magnopere læduntur ſi in illos inſtructos incidant.

40 Turcæ fugientes hoſtes confusè inſequũtur, vnde facillimè lędũtur ſi qui fugæ ſe mãdant, ſine aciei ſuæ perturbatione faciãt, & rurſum eadẽ cum ordinis cõſeruatione in illos iterum inuadant.

41 Aliæ nationes permultæ, ordinatæ atque inſtructæ fugientes inſequuntur: itaque minimè oportet coram atq; ex aduerſo in illos conuerti, ſed ad latus atque à tergo, quemadmodum memoraui, incurſionem facere.

42 Quoniam Turcarum mentionem fecimus, haud ab re fuerit vniuerſam illorum aciem, & quemadmodum aduerſum illos noſtra acies inſtruenda ſit, explicare. Hoc enim experientia tenebamus, cùm Bulgari inducijs violatis Thracum regionem populabantur. Bulgaros enim vltio diuina, propter hoc periurium, in Chriſti Dei noſtri & totius vniuerſitatis regis nomine admiſſum, iuſto ſupplicio coërcuit. Nam cum noſtræ

copiæ aduersus Saracenos occupatæ essent, Turcas diuina prouidentia aduersum eos Romanorum vice armauit, classe nostra Istrum transmittente atq; illos adiuuante, & Bulgarorum contra Christianos armatum exercitum tribus prælijs fuderunt, diuinitus ad hoc vt videtur missi, ne Romani Christiani Bulgarorum Christianorum sanguine inquinarentur.

43 Scythicæ nationes vnam habent aciei apparatusq́; formam, quamuis diuersorum hominum imperijs subijciantur, & ad negotia facessenda incitati. Pastionibus pecorum vitam transmittunt. Solæ autem Bulgarorum & Turcarum nationes similiter acies suas in bello instruunt, reliquis Scythis longè melius ac fortius. ordinati & vnius imperio obedientes bella gerunt.

44 Sed quoniā Bulgari pacem in Christo amplectuntur, & fidem in Christo cū Romanis communicant; quoniā Deus illos propter induciarū violatarum periurium vlciscebatur, nolumus vlla consilia imperatoria adhibere, & aduersus illos nosmet armare: itaq; neq; illorum contra nos aciem, neq; nostram aduersum illos, cùm vna in fide quasi fratres iungamur, apparationem demonstrare, nuncq;

po-

potiſſimum cùm iam ſe noſtro imperio adminiſtrationique, quemadmodum optauimus, ſe ſubmittunt.

45 De Turcarum forma parum aut nihil à Bulgaris differente iam dicamus. Populoſa ac libera hæc natio eſt, reliquarũ rerum quæ ſunt in hominibus ſplendida, minorem curam habentes: in eo ſolùm laborantes, vt in confligendo cum hoſtibus fortes ſint atq; habeantur.

46 Hæc igitur natio ſub vnius dominatu cùm ſit, graues acerbaſque pœnas dat præfectis ſuis, ſi vllius delicti teneantur: neq; amore, ſed timore ab improbitate coërcetur, & labores atq; ærumnas omnes ſtrenuè perfert: ad calores & frigora toleranda ſatis paratur: reliquarum rerum egeſtatem, quemadmodum reliqui qui Nomades ſunt, id eſt, paſtionibus pecudum ſe totos tradiderunt, æquo animo perpetiuntur.

47 Laborioſum admodum genus Turcarum eſt, & tectum in conſilijs atque occultum, neque ſociale, neq; fidum, pecuniarum cupiditate inexplebile, iuriſiurandi contemnens, fœdifragum: donis haud contineri poteſt; nam penè priuſquam dona acceperint, inſidias moliuntur, & induciarum violationem.

48 Temporum opportunitatẽ diligen-

tiſſimè perſequuntur, neque manu & viribus tantum contẽdunt, quantũ dolis & ſubitis incurſionibus, & rerũ neceſſariarũ interclusione, hoſtes adoriuntur.

49 Armantur gladijs, haſtis, ſagittis, galeis. Vnde in prælio duplicia arma cõplures ex illis geſtant: humeris haſtas ferunt, & manibus arcum tenent, & ſi quando vſus poſcit vtriſq; vtuntur: vbi verò alij eos inſequuntur, arcu magis valent.

50 Nec verò ſoli illi arma geſtant, ſed equi etiam ſpectatorum virorum cendu clo aut ferro anteriora tegunt.

51 Multum operæ collocant in ſtudio ſagittarum ex equis iaciendarum.

52 Beſtiarum multitudinem ſecum habent, equarum, iumentorumq́; aliorum, tum ad lac bibendum, tum propter opinionem multitudinis.

53 Caſtra ponunt non in foſſato quemadmodum Romani, ſed vſque ad belli diem, per cognationes & tribus diſperguntur. Equos aſſiduè tum hyeme tum æſtate alunt. Belli aũt tempore neceſſarios ad vſum equos retinẽt, & prope Turcica tẽtoria pedicis iniectis tenẽt, atq; vſque ad ipſius prælij tẽpus conſeruant.

54 Excubias eminus collocatas habẽt, ſed ita crebras, vt non facilè ſubitis impreſſionibus opprimi poſſint.

55 In prælio, vt Romani faciunt, aciem ſuam in tres non diuidunt, ſed diuerſis in partibus drungiſti ſimul & conferti inter ſe adiuncti, partes ita parum inter ſe diſtantes habent, vt vna videatur eſſe acies.

56 Præter aciem inſtructam, copias quaſdam præterea habent, quas vel ad inſidias mittunt aduerſum eos, qui negligenter in hoſtili acie illis opponuntur, vel ad ſubſidium afflictæ oppreſſæque partis emittunt. Tuldum autem, id eſt, impedimenta, à tergo aciei propè vel ad dextram vel ad ſiniſtram, vnius aut duorum milliarium interuallo habent, & paruam quandam cuſtodiam militum illi aſſignant.

57 Sæpe autem ſuperfluos equos à tergo poſt aciem inſtructam locant, & manipulos confusè atque inordinatè apparant: vt denſata altaque ſit permultum laborant, frontem verò æquabilem denſamq; faciunt.

58 Vtuntur pugnis eminus habitis, inſidijs, circunſcriptionibus hoſtium, ſimulatis diſceſſionibus, conuerſionibus, & diſperſis aciebus.

59 Vbi hoſtes in fugam verterint, illud primum laborant, vt omni contentione inſequantur, nihil prius habentes

quàm persequi hostes. Neq;, quemadmodum Romani reliquæq; nationes, cōtenti sunt mediocriter illos insequi, & pecunias illorum diripere, sed eousq; inuadūt, dum omnibus quibus possunt vijs hostes protinus deleant.

60 Si qui ex hostibus Turcorū, ad munitionem aliquam confugerint, cōfestim conantur commeatus inopiam, si quæ sit aut virorum aut iumentorum, cognoscere, & ibi in continua obsidione sunt, donec eius inopia hostes opprimant, vel ad aliquam consensionem aut deditionem illos compulerint: ac primò leuiora illis proponunt, assentientibus deinde grauiora imponunt.

61 Hi Turcorum mores hoc solo à Bulgarorum distant, quòd hi Christianorum complexi fidem, Romanorū moribus assuefacti, morum asperitatē & agrestē vitā simul cum infidelitate abijciunt.

62 Pastionum inopia maximo impedimento Turcorum exercitui est, quia multitudinem iumentorum secum semper vehunt.

63 Conflictationis tempore pedestris acies magnopere illos lædet, quæ aduersa equitib. solet esse ijs qui ex equis descendere non solent: neq; enim stare pedibus diu possunt, quia equis vehi sunt soliti.

64 Ad-

64. Aduerſus illis locus æqualibus campeſtriſq; eſt, & acies equeſtris denſataq; & ſine intermiſſione illos ſequens.

65 Aduerſæ illis ſunt manuum concertationes, & incurſiones nocturnæ, ſi ita tutò fiant, vt qui inuadunt illos vnā partē habeant inſtructā, alteram aūt occultam atq; abditam.

66 Hoc vehementer illos vexat, ſi qui ex illis ad Romanos deficiant. Cognoſcunt enim omnes ſuos inconſtantem habere animum, & lucri appetentes eſſe, ac ex multis tribubus conflatos, atque adeò cognatorum ſuorum & mutuæ beneuolentiæ minorem rationem habere.

67 Cùm paululum ad fugiendum retroceſſerint atq; hilarentur, multi è noſtris ſtatim conſequuntur. Itaq; moleſtè admodum ferunt ſi quis ab illis deficiat.

68 Quando quis cominus ad pugnandum cum illis accedere voluerit, excubias habeat multas & crebras exiguo interuallo diſiunctas: deinde præparet & aduerſus omnem fortunę impetum prouideat, vt ſi quando hoſtium fuga fiat, munitionem aliquam ad illos obſidendos paret, & commeatum aliquot dierum habeat tum hominum, tum etiam, ſi fieri poteſt, iumentorum: ac in primis aquæ affluentiam habeat, deinde impedi-

menta sic instruat, quemadmodum in capite de tuldo diximus.

69 Si pedestris acies fuerit in prima potissimum pugna, qui exercitus maxime assuetus illis fuerit, eum primò instrues, quemadmodum alibi explicuimus: hoc est, vt equites post se instructos habeant.

70 Sin equites fuerint q aduersum Turcos instruuntur, si ad pugnandum cũ illis satis habiles fuerint, ita instrues eos quẽadmodum antè memorauimus, vbi de instruendis illis verba fecimus.

71 Ad latera multos & strenuos segregabis: ad tergus enim defendendum satis sunt defensores, id est, vindices. Cursores autem plus tribus aut quatuor sagittæ iactibus in persequendis hostibus à defensoribus ne separentur. Omnino autem elaborabis vt in planis expositisque locis quantum potes aciem tuam instruas, vbi neque syluæ condensæ, neque paludes, neque arbusta perturbare possint, propter insidiarum metum quas Turci moliri solent.

72 Excubiæ interuallo quodam interposito ad partes quatuor aciei collocabuntur.

73 Si fieri possit, fluuium transitu perdifficilem, aut paludem, aut lacum, ad tergus

gus aciei in tuto conseruandum habens.
74 Si belli secundus exitus fuerit, neque nimis cupidè illos opprimas, neque negligenter illos insequaris. Neque enim quemadmodum reliquę nationes faciũt, sic Turci vbi primo superantur prelio, statim profligati discedunt, sed omnes vias postea quærunt, quemadmodum hostes suos incursionibus superare aut fundere possint. Sin permista acies pluresq; pedites fuerint, prouisio quædam iumentorum pabuli habenda est. Neque enim imminentibus hostibus omnino equites permittuntur pabulari.
75 Hæc igitur bellica consuetaq; Turcorum est exercitatio. A' Bulgarorum autem forma paucis quibusdã rebus, quẽadmodum ante dictum est, differt: reliquis in rebus similis est.
76 Hæc nos ad te scripsimus, non quasi aduersus Turcos bellum suscepturi, neq; enim prope nos sunt, neque hostes nobis nunc sunt, sed se subiectos potius nobis conantur ostendere.
77 Sed vt scias acierum & instructionum varietatem, & idoneis temporibus opportunè illis vtaris, sicubi vtile aut commodum iudicaueris, quę multo cum labore ac studio ab alijs inuentæ sunt, atq; etiam aduersum illos alias contra-

rias moliri atque excogitare possis.

78 Sunt quædam nationes, vt Galli, Longobardi, quæ olim in infidelitate versabantur, nunc veram Christianorum fidem nobiscum complexi sunt: e quibus aliæ sociales nobis, aliæ sub imperium nostrum subiectæ sunt. Atque ijs priuatæ quædam militares acies, quas partim per manus ab alijs acceperunt, partim bellandi consuetudine inuenerunt. Quæ omnia non ideo tibi commemorabo, vt bellũ illis inferre possis: quomodo enim aduersus socios, & subiectos, & eiusdem fidei participes, & nobiscum coniunctos homines, bellum susciperemus? sed vt ijs cognitis, quæ contraria sunt illis, si quid tale vsus poscat, adinuenire possis, & aduersum quascunque molitiones hostium, contrarias illis in promptu habeas.

79 Nam & Sclaui quoque olim erant quando trans Istrum, quem Danubium appellamus, habitabant. Hos expugnabant Romani cùm pastorum more vitam transegerunt, qui antequam Istrum transirent, sub iugum Romanæ ditionis colla summittebant. Istorum mores atque instituta nullo modo prætermittenda iudicaui, sed omnia tibi percẽsere pro viribus enitar, vt apis instar ex vnoquoq; quod

quod optimum atque vtilissimum est delibes.

80 Galli & Longobardi libertatis rationem plurimi æstimant: sed Longobardi magnam huius virtutis partem amiserunt. Galli autem admodum audaci infractoque animo sunt, in bello strenui ac penè temerarij. In magno opprobrio ignauiam & paruam retrocessionem ponunt, atque eam fugam esse existimant, & facilè ac strenuè præ mortis contemptu tum equites tum pedites manus cominus conserunt.

81 Quando igitur in equestribus prælijs in aliquas angustias deducuntur, vna omnium consensione ex equis descendunt, & pedites se instruunt, & pauci cõtra plures se armant, aut si id minus possunt, prælio desinunt.

82 Armantur scutis, hastis, spathis breuioribus, quas ex humeris loris quibusdã gestant: quidam aũt accinguntur illis.

83 Pedestri prælio admodum lætantur, & vehementibus incursionibus.

84 Instruuntur in prælijs siue pedites siue equites non aliquo certo & definito modo, & in acies aut turmas aut cohortes diuiduntur, quemadmodum Romani, sed per tribus & familias & cognationes, sæpe etiam cõiurata quadã amicitia:

Itaque quidam amicis interfectis sæpe in prælio permanentes seipsos in maxima pericula coniecerunt, vt illorum vicem vlciscerentur.

85 Frontem aciei æqualem & densam in prælio habent.

86 Confligunt equites & pedites vniuerso cum impetu, & vehementer acimpetuosè ruunt omni timore vacui.

87 Minus obedientes præfectis illorum sunt, & potissimum Galli, ac voluntariè ad certum tempus, etiam antequã à præfectis accersantur, in expeditione sunt. Hoc tempus si prætereat, & illis diutius manendum sit, hunc temporis tractũ molestè ferunt, atq; ab expeditione sua discedunt, & domum se conferunt.

88 Improuidi rerum sunt, neque varietatis, incolumitatis, aut aciei instruendæ, equestrisq́; potissimum, vllam rationem habent.

89 Pecunijs facilè corrumpuntur, quia lucri admodum cupidi sunt. Huius rei experientia nobis constat, quòd cùm ex Italia ad res administrandas permulti eò accesserunt, illorum consuetudine ac moribus imbuebantur, & ab humanitate ad barbariem ac cupiditatem pecuniæ transierunt.

90 Vexant illos admodum ærumnæ

ac

ac miseriæ. Quemadmodum enim mentes audaces strenuasq; possident, ita corpora delicata ac tenera habent, & ad labores sustinendos minus habilia.
91 Calores, frigora, pluuiæ, commeatus, aut rerum necessariarum inopia & vini potissimum, dilatio belli, illos excruciant.
92 Equestris prælij tempore aduersantur illis loca difficilia & condensa, quia vehementi incursionis impetu directè cum hastis ruere solent.
93 Damna & offensiones facilè à tergo aut ad latus ex insidijs sustinent, quia excubias reliquasq; huiusmodi molitiones minus curant.
94 Quòd si qui fugam simularent, facile illi dissiparētur, & subitò in eos iterum conuersi, permultum illos læderent.
95 Sæpe etiam nocturnæ sagittariorum incursiones lædunt illos, quia dispersè & disiectè castra ponunt.
96 Sin quis se ad confligendum cum illis parans ijs moribus atque institutis vtatur, haud opus fuerit publica cum illis dimicatione contendere, idque in initijs belli potissimum: sed insidijs & improuisis incursionibus illos adoriri, vel dilatione prælij tempus eludere, vel pacificationem simulando commeatum illorū

absumere, vel caloribus & frigoribus audaciā illorum atq; alacritatem minuere.

97 Si dilatio & similia maximè fieri possunt, quando ad munitiora & difficilia accessu loca hostilis illorum exercitus accedit, ibi tum hastis vsi illum locū inuadere non possunt.

98 Si ijs prædictis modis contra illos nihil proficiatur, sed ad bellum toti spectent, vbi exercitum instruunt, sic instruant quemadmodum in capite de acie instruenda docuimus.

99 Sclauonica natio simili vitæ cultu & moribus ac Galli vtebatur. Libertatis amans, subijci aut imperio parêre noluit, quādo trans Danubiū sua in regione habitauit: vnde hunc in locū traducta, atq; alijs vi seruire coacta, indigenis suis, & nō alienigenis obedire voluit: melius enim putabant ab indigenis suis violari, quàm Romanis parêre, & sub illorum legibus viuere. Qui autem ex illis sacrosancti baptismatis fontem receperunt, ij quantum in illis est, ad antiquæ libertatis formam eum conseruant.

100 Populosa natio est, omnium ærumnarum patiens: calores, frigora, pluuias, nuditatem, commeatus, & rerum necessariarum inopiam facilè perfert.

101 Hanc nationem noster diuina quadam

dam forte Imperator Romanus, & pater meus Basilius, à reliquarum gentium feritate traduxit, & Romano more præfectos illis constituens, & baptismate sacro illos imbuens, à seruitute liberauit, & cõtra Romanorũ hostes pugnare instituit: itaq; studiosè ijs in rebus versatus est, vt Romanos hac re securos faceret, qui sæpe antea Sclauorum populationibus infestabantur, & bella multa ab illis illatà sustinebant.

102 Erant autem Sclaui ij nescio quomodo hospitibus humani, quam hospitalitatem adhuc studiosè retinent.

103 Peregrinis enim benigni ac mites erant, & illos lubẽter ac humaniter accipiebant, & à loco in locum comiter deducebant, & ab omni noxa offensioneq; integros & securos conseruabant. Itaq; si propter negligentiam hospitis peregrinus lædatur, bellum statim contra eum mouet. Nam fidei magnam declarationẽ esse putat, si peregrini vicem vlciscatur.

104 Aliud pręterea non inhumanũ hoc apud eos videbatur esse. Captiuos enim suos non ad infinitam seruitutem obligabant, sed vt captiuos potius apud se retinebant, & certum quoddã seruitutis tempus præscribebãt, vt post hoc tempus expletũ, certa quadã mercede data ad suos

redire poſsint, vel ſi mallent, apud illos liberi & amici permanerent.
105 Fœminæ illorum præter cæteras modeſtæ feruntur. Multæ enim virorum ſuorum mortem tam grauiter ferunt, ac ſi ſua eſſet, & ſeipſas ſuffocãt: vitam enim viduam ac ſolitariam ferre non poſſunt.
106 Milio ad commeatum vtebantur: temperantiam in victu maximè colũt: reliquos agriculturæ labores minus perferunt, quia vitæ liberaliorem cultum magis diligunt, neq; adduci poſſunt vt magno cum labore ſumptuoſas epulas parent, atq; eas poſtea vorẽt atq; exorbeãt.
107 Armantur paruis haſtulis vel iaculis duobus vnuſquiſq; vir: quidam etiam ſcutis magnis, quos thyreos vocant. Arcubus enim ligneis vtuntur, & ſagittas habent veneno imbutas, quod efficax admodum eſt: niſi enim qui plagam accepit vel theriacam bibat, vel aliquod aliud ſalutare præſidium, vel ſtatim plagam omnem pręcidat ne latius ſerpat, vniuerſum neceſſe eſt corpus pereat. Ad loca prærupta & acceſſu difficilia confugere, & ibi commorari gaudent.
108 Quemadmodum in illos Romani incurſiones impetusq; faciebant, antè à nobis explicatum eſt, vbi de nec opinatis incurſionib. egimus, vt tu imperator quã
uis

uis non in illos nũc, sed in similes tamen illorum, aut in alios barbaros incursionẽ faciens (si quidem id vtile tibi videbitur) habeas ad omnẽ vsum in promptu, quasi exercitatum, quod facto opus erit.

109 Quoniam de diuersarum gentium moribus atq; institutis verba fecimus, haud ab re fuerit de Saracenis, qui rem publicam nostrã perturbant, nũc aliquid commemorare, qua natura sint, quibus armis in bello vtantur, quibus modis nostri aduersum eos armandi sunt, & quemadmodum impetus in illos faciendi.

110 Saraceni Arabes sunt genere, ad ingressum felicis Arabiæ olim habitantes. Nunc verò genus eorum in Syriam & Palæstinam dispersum est, primùm commorandi causa, deinde vbi superstitionis suæ autor Mahumet fuerat, horum locorum ditionem, & Mesopotamię atq; Aegypti, reliquorumq; ac finitimorum locorum imperium armis occupabãt, id quod Romanorum cum Persis de imperij gloria dimicatio, illorum capiendorum occasionem dabat.

111 Erga Deum impij sunt: blasphemiam suam pro pietate ducunt. Christum verum & mundi seruatorem Deũ vocare non sustinẽt. Omnis mali facinoris Deũ esse autorem arbitrantur: & bello delecta

ri dicunt Deum, qui dissipat gentes quæ bella volunt: suas ipsorum leges sanctissimè custodiunt: carnē suam pinguefaciūt, & animum dehonestant. Aduersus igitur hanc illorum impietatem, pietate ac religione nostra pugnemus, & diuinas humanasq; leges sanctissimè custodiamus, atq; illos si possumus expugnemus.

112 Camelis sarcinarijs vtuntur pro curribus & iumentis, asinis & mulis: & tympanis & cymbalis in aciebus vtuntur, quibus equos suos assuefaciunt: & huiusmodi sonis ac strepitibus hostium suorū equos perturbant, & in fugam conijciūt. Sed & Camelorū quoq; aspectus equos perterrefacit, & vlterius progredi non patitur.

113 Camelorum iumentorumq; huiusmodi apparationem sæpe, vt multę & ingentes copiæ videantur, in medio exercitu collocant, & crebra flamūla illis imponunt, vt illorum turba magna, multitudo hominum esse videatur.

114 Calida corporis constitutione sunt, in tam calida mundi plaga degentes. Pedestres copias dicunt se Aethiopibus sagittarijs, qui armis grauibus nudantur, roborare, & ante equites quasi leues collocare. Istis vsi, videntur hostibus inexuperabiles esse.

Pe-

115 Pedites sui equis vehuntur, & post equites sedent ex equo, quando prope regionem suam expeditio est. Vtūtur armis etiam equites illorum, sagittis & spathis, hastis scutis & securib. Armaturam gestant galeas, thoraces, cassides, ocreas æneas, brachialia, & si quæ alia ad Romanorum formam arma sunt. Zonas & fræna & gladios, reliquaq; huiusmodi argento exornant ambitiosius.

116 Neque cùm persequūtur alios, neq; cùm ab alijs exagitantur, aciem illorum dissoluunt. Sin acies illorum dissoluatur aliquando, minimè ad formam suam reuocari facilè possunt, sed solùm de salute laborant.

117 Audaces sunt si victoriam sperent: sin desperent de victoria, timidi valde sunt. Omnia enim, etiam quæcunq; mala sunt, à Deo ꝓuenire afferūt. Quòd si qua aduersa fortuna vexētur, quasi à Deo immissa non repugnant, sed conflictationis offensionē accipientes, omnē contentionē prælij remittunt. Somnolenti sunt, ac propterea nocturna prælia pertimescūt, idq; potissimum quādo alienam terram incursant. Itaq; vel ad munita loca discedūt, ibiq; tota nocte custodiā habent, vel castra sua tā diligenter muniūt, vt nocturnis hostiū irruptionibus nō perturbētur.

118 Quadratam & oblongã aciem semper instruunt, quę tutissima est, ad oppugnandum difficillima in hostium irruptionibus.
119 Hac forma vtuntur tum in itinere faciendo, tum in manibus conferendis, & magna ex parte Romanos imitãtur, tum in aliarum rerum bellicarum formis: & experientia præliorum exercitati, ijsdem modis nos inuadunt, quibus à nobis antea profligabantur.
120 In aciebus suis firmi stabilesq; cõsistunt, neq; cum celeritate hostes inuadunt, neq; facilè ad deponendum prælių iam incœptum pertrahuntur.
121 Consistunt in acie, & perferunt impetum illorum qui in illos acriter inuadunt moderatè: vbi verò relanguescere impetum hostium vident, tum excitati vehementer ac strenui præliantur.
122 Hoc non modò in pedestri prælio, sed etiam in nauali faciunt: & postquam feriendo & tela conijciendo hostes exatiati sunt, scutis simul addensatis ea omnia cùm sustinent, statim conferti se colligunt, & manus conserere incipiũt: cũ quibus prudenter semper ac circumspectè dimicandum est.
123 Cautione & constitutione quadam rerum bellicarum longè meliore ac pro-
ba-

batiore cęteris nationibus vtũtur, quemadmodum à præfectis nostris ad illos sępe accedentibus vniuersumq; rerum statum indagantibus, cognouimus, & ex aliorũ narrationib. ad nos delatis audiuimus, & à nostro piẽtissimo patre, qui persæpe aduersum illos bellauit, accepimus.

124 Frigus illos & hyems & largæ pluuiæ vexant: itaq; ijs temporibus potius, quàm serenis adoriendi sunt, quia arcus illorum propter cœli humiditatem languidi sunt, & vniuersum corpus quasi effœtum debilitatur. Eiusmodi enim temporibus à Romanis capti incursionibus & populationibus, atq; interfecti sunt.

125 Serenis igitur calidioribusq; anni temporibus oblectati, in vnum conueniunt, ac æstate potissimum, & in Tarso Ciliciæ ciuitate, cum indigenis pacem faciunt: reliquis temporibus ex Tarso & Aedanis & alijs Ciliciæ ciuitatibus in Romanos incursiones faciunt.

126 Tum igitur adoriendi sunt, hyeméque potissimum, quando ad prædã exeunt: hoc fiet, si copiæ nostræ occulto aliquo in loco propè clàm permaneant, & egressum ad prædationẽ animaduertant: sic enim vastabunt eos. vel etiã magno cũ numero & bellico apparatu instructi, illos iterum conuenientes adoriantur.

127 Periculosum enim est, quemadmodum autè à me commemoratum est, publico in prælio periclitari, quanquam admodum videantur hostes suos superaturi: fortunæ enim exitus incertus.

128 Conueniunt ad bellum non arcessiti, aut descriptionib assignati, sed ad bellum voluntariè cõfluunt omnes diuites, vt pro sua ipsorum patria conducti moriantur. Pauperes, vt aliquam prædæ partem lucrentur, arma illis indigenæ suppeditant: & fœminæ potissimum viríque hoc modo participes rei bellicæ sunt, magni officij loco ponentes, armare eos, qui propter imbecillitatem corporis armare seipsos non possunt. Atq; hæc de Saracenis, qui barbari infidelesq; sunt, à nobis dicta sunto.

129 Romanos non solùm hoc oportet conari, vt alacri animo milites sint, & qui nondum in bello fuerant, aduersus eos prælium suscipiant, qui Deum nostrum vniuersitatis regem Christum blasphemant, & omnino illos quantum possunt iuuent & prosequantur tum donis tum armis tum pijs votis, qui aduersum Gentes bella suscipiunt, sed & plura ijs efficere, ædes & familias eorum qui cum alacritate animiq; promptitudine ad bellum iuerint, beneficijs ac beneuolentia

pro-

prosequi, & si quid ijs qui in exercitu sunt, aut equis eorum opus fuerit, siue sumptus siue arma ijs suppeditent, & liberaliter subministrent.

130 Hoc si fieret, cùm longè maiores Romanorum copiæ sunt, bene atq; idoneè armatæ, delectique propter robur ac strenuitatẽ viri, nullaq; re necessaria defecti, facilè Deum propitium habentes de barbaris Saracenisque victoriam reportabunt.

131 Si enim armatura, sagittisq; potissimum & telis plurimis, & multitudine hominum, & strenuitate, & idoneis cõsilijs, molitionibus militaribus abũdauerimus Romani contra illos, tum diuino consilio tum victoria de illis non destituemur.

132 Hæc enim gens propter spem prædæ, & quia belli pericula minus timent, ad magnam facilè multitudinem congregantur, ex omni Syria interiore & Palæstina, & imbecilles atq; imbelles viri propter huiusmodi spem prædarum ad reliquos fortes milites se aggregant.

133 Si verò Christi presidio adiuti, bene instructi atque armati, alacriter cum illis pro animæ nostræ salute quasi pro Deo & cognatis & reliquis Christianis fratribus dimicantes, nos illis opponamus, magnam in Deo spem habemus nos nul

lam offenſionẽ accepturos, ſed omnem victoriam reportaturos.

135 Vbi illi prædandi cauſa Taurum trãſierint, in ipſis viarum anguſtijs, quando fatigati admodum reuertuntur, & prædã iumentorum aut aliarum rerum referũt, in excelſis quibuſdam locis ſagittarij & funditores collocandi ſunt, & cum equitibus dimicandũ ita eſt. Vel ſi aliter vſus ferat, inſidijs, aut alijs molitionibus, aut ſaxis ingentibus deuolutis, vel obſtructione viarum arborib. obiectis, aut alijs modis à nobis antè commemoratis, aut ſi quid aliud ad vſum idoneè inuenire potes, adoriendi ſunt.

136 Aciem ſuam non diſſoluunt, ſi quis aut duo aut tres inuaſerint eos, donec vel victoria freti inſequantur, vel de victoria deſperantes fugæ ſe mandauerint. Itaq; primò incurſio in illos ſagittis eſt facienda. Si enim equi illorum, qui Parij dicũtur, & Aethiopes reliqui ſagittarij equites vulnerentur & feriantur, cùm nudi ſunt, facilè in fugam ſe conijcient: quia equos quos plurimi faciunt, & per quos ſe ſalutem comparare arbitrantur, incolumes cuſtodire magnopere laborant.

137 Equi ſi pereant ſagittis veneno imbutis, ſimul intereunt qui vehuntur equis: ſin ſagittas imbutas eſſe cognoſcant,

ſtant, antequam percutiantur aufugient.
138 Neq; enim tantũ gloriam nomenq́; expetunt Saraceni cùm ad prælium exeunt, quantum cupiditatis cauſa & rerum neceſſariarum conquirendarum gratia: neq; enim agros colere norunt, vt inde pauperes viuant, ſed gladio ſuo ab ineunte ætate vel viuere vel mori diſcunt: vnde vna de illis victoria multis periculis Romanos liberat: vbi enim viderint eos qui ad bellum exierunt nequaquam reuerti, ſed à ſuis iam deſiderari, non iam audebunt tam incircũſpectè ad bellum poſtea procedere.
139 Cilices Saraceni vniuerſum quem habent peditatum, ad vtrunq; genus prælij parant, tum terreſtri per Tauri montis exitum, tum mari per nauigia, quæ illi Cumbaria appellant. Quando aũt terra non egrediuntur ad prælium, conſcendunt mare, ibiq; prædantur, aut in maritimis locis cõfident ad prædam quærendam. aliàs ad Romanorum agros populandos exeunt.
140 Speculatores abs te diligẽter emittendi ſunt qui res illorum cognoſcant, vt contra eos exercitum idoneum præpares, vt quando è terra continente exeunt, præfecto claſſis indicetur, qui in Tarſenſiũ & Adoneorũ agros maritimos incur-

ſet. Neq; enim tam numeroſas barbaris Cilicibus exercitus eſt, vt ijdē ad pugnādum terra ſimul & mari habiles ſint.

141 Ad ſummam autem, ſi illos vaſtare cupis, claſſe ſimul maritima, & terreſtribus copijs per Taurum ſimul cum alijs præfectis adoriaris, & impetus incurſionesq; aduerſus illos facies, atq; ita prædatorum illorum regionem populaberis, quemadmodum clariſſimus atq; ampliſſimus pater meus Baſilius Imperator Romanus fecerat.

142 Qui Meſopotamiæ, Syriæ, finitimi Saraceni ſunt, ijs molitionibus oppugnabis, quibus paulò ante hoc tempus imperator exercitus ille vtebatur, qui Theo doſij ciuitatem ab illis occupatam eripuit, & in noſtram poteſtatem redegit: & quoniam equi Romani minus aſſuefacti ſunt vel aſpectui camelorum, vel tympanorum cymbalorumq; ſtrepitui, exercēdi ad iſta equi ſunt, præfectorum autem & primariorum virorum potiſſimum, vt neque aſpectum camelorum refugiant, neque ſonitum tympanorum cymbalorumque formident. Itaq; permulta ſunt, quæ quis diligenter intuens, ad iſta excogitare poſſit.

143 Breui autem, quæcunq; à nobis de apparatu belli, de armis, armatura, exercita-

citationibus, aciebus bellicis, ac reliqua disciplina militari conscripta sunt, ea omnia ad Saracenos oppugnandos recensebantur: hæc enim gens finitima nostro imperio, quemadmodum Persæ olim fuerant, non minus sub nostrum imperiũ subiectos homines vexat, atq; illi olim fecerunt. Itaq; huius libri conscribendi laborem suscepimus, vt nostri aduersus illos paratiores instructioresq; essent. Aliæ verò acierum formæ à nobis pręterea adinuentę sunt, quibus aduersum barbaros vsus magnam victoriam comparabis.

144 Variam aciem ad hunc modum instrues virorum quatuor millium. Prima sit acies quæ propugnatrix dicitur, virorum mille quingentorum: & in tres partes eam diuides, dextram, sinistram, mediam, vt singulæ quingentorum virorum sint: ac ita prope se mutuò collocabis, vt vna acies esse videatur. Secundam aciem virorum mille facies, eamq; in quatuor partes diuides, vnius sagittę iactu à se mutuò distantes, vt in vnaquaq; parte ducenti quinquaginta viri post primam aciem collocentur. Quòd si primam aciẽ retrocedere contingat, in vacua interstitij loca recipiantur, atque adeo vna cum illis acies fiant. Nam quatuor partes secundæ aciei tria interualla faciũt, in

quæ prima acies se recipiens, ad secundam aciem aggregetur. Post hos, tergistites instrues, homines quingētos: quos duas in partes à tergo diuides, dextram & sinistram. Hos à tergo secundæ aciei instrues, ac si tertia acies essent, vt vnaquæque pars ducentos quinquaginta viros habeat, vt si quando opportunum sit, & ipsi ad secundam aciem adiuuandā progrediātur, quæ iam primā receperat. Has tres acies ad vsum separatas, propinquitate coniunctas, ad se mutuò adiuuandas idoneas esse perspeximus His adiunges cornua propè, & corā prima acie ad dextrū latus cornistites, ad sinistrum lateranos: ijq; ex ducentis viris conficiantur, vt ad hostium aciem ambiendam cornistites parati sint: & ad hostes qui circumcludere vos conantur, impediendos, laterani instructi sint. Præter hos vtroq; in latere eminus cohortes duas ducentorū virorū collocabis, quas hinc atq; illinc aciei in insidijs collocabis, qui drungisti & confertim prosiliāt, & hostium latera inuadant. In tribus autem vacuis spatijs atq; interuallis secundæ aciei viros centum aut ducentos collocabis, vt videatur vna iunctaq; acies esse. Hi, si quid opus sit, locū dent primæ aciei ad hęc interualla se recipienti: sin minus, ad fugā incitatos

tos reprimant, & ad suã ipsorum acié eos impellant, & tergistites magnopere cum illis postea iuncti adiuuabunt: quæ res nõ paruo præsidio est ijs q in prælio fuerint. Qui restant centũ viri, cum imperatore ipso simul in expeditione procedãt, vt si quando adflictę parti succurrendum sit, ij eò missi magnum in bello momentum adferãt, & præsentia sua inclinatam partem subleuent. Atq; ad hunc modum prima, secunda, tertia acies instructæ, militiæ nostræ Laterani, Cornistites, Tergistites & insidiæ, & in interstitijs qui sunt positi, & qui in subsidijs cum imperatore sunt, quatuor millibus virorum describantur. Imperator mediũ primæ aciei locum obtinebit, instruat ac prouideat quę facto opus sunt, secumq; hoc centũ virorum habeat subsidiũ. Sin maioribus copijs vsus sit, ad turmarcham, qui olim imperator, nũc merarcha aut turmarcha dicitur, mittere oportet. Turmarcha autem singulis partib. siue turmis anteponi debet: omnibus autem præsit imperator. In singulis turmis drũgarij siue Tribuni sint & comites sub illis, reliquiq; præfecti qui regãt gubernentq; exercitum, & ad propositum prælium incitent.

145. Primæ aciei multitudinem ad hũc modum diuides. Tertiam partem eius,

quos noueris fortes strenuosq; esse, in cursores diuides, bessem reliquam in defensores, vt ij se hostibus obijciētes quasi propugnatores, drungisti, id est, cōfertim sine acie in hostes procurrant. Quòd si in fugam illos verterint, sequātur defensores siue vindices, aciem instructam non deserentes, sed diligenter seruantes. Sin premantur cursores siue proclastæ & retrocesserint, vt cum acie defensores illos excipientes hostes reprimant. Sin quid grauius contingat, secunda acies & tergistites præterea opem ferant, atqueadeo hostes insequantur, sibi mutuò opem, si quid vsus postulet, ferentes. Neque enim mihi tutum videtur esse, omnes vna in acie ponere, ne simul pugnantes simul in periculum veniant, & in fugam se conijciant. Hîc autem quanquam prima adflicta sit, secunda tamen firmiter consistit, atq; illi opem ferre solet. quòd si quid grauius hæc quoq; patiatur, tertia tamen securè inuadat. Atq; ita nostræ tres acies firmæ aduersus vnam hostium aciem contendentes, facilè eam superare atq; expugnare possunt, & in fugam præcipitare, adiuuantibus ad hanc rem lateranis & cornistitibus.

146 Hæc quatuor millia ex delectis strenuisq; viris fiant, & in bello gerendo exerci-

ercitatis: neq; enim de plebeis ac fortuitis hominibus mentio à nobis facta est, sed de ea acie quæ posset arma gerere, & alacriter dimicare.

147 Contubernia huius aciei ad decem virorum altitudiné facies, vt in vnaquaq; acie duo viri sint, alter lochagus, siue decanus, aut præstes: & vltimanus, siue caudanus, siue quintanus: quos strenuos idoneosq; viros esse oportet, & idoneis armis instructos. Atque ad hunc modum altitudine acierum instructa, ad longitudinem quam κατὰ ζυγοῦ transuersam altitudini appellant, quantum numerus & latera patiuntur instrüat.

148 Quoniam quemadmodũ nunc posuimus, prima acies in treis partes diuiditur, vnaquæq; pars quinquaginta contubernia habet, quæ singula decem viros habebunt à lochago, id est, decano, ad οὐραγὸν, id est, vltimanum, ordine locatos, vt vniuersa contubernia primæ aciei centum quinquaginta sint, id est, viri mille quingenti. Secunda acies habeat in quatuor illius partibus contubernia viginti-quinq; singulis, vniuersis centum contubernia, id est, viros mille. Laterani habeant contubernia viginti, viros ducentos: similiter cornistites contubernia viginti, viros ducentos habeãt. Insidiæ præ-

terea hinc atq; illinc aciei contubernia viginti, viros ducentos singulæ habeant: vniuersæ contubernia quadraginta, viros quadringentos. qui in interuallis inanib. singulis locãtur secundę aciei, cõtubernia decem virorum, simul trecẽtorum, & qui præterea imperatori adsunt centũ viri.

149 Reliquæ acies exceptis cursoribus ordine quodam instruantur, Laterani, Cornistites. Insidiæ non semper instructæ, sed pro vsus ratione interdum drungisti, id est, confertim incurrãt, interdum ordinem suum conseruent.

150 Eligentur ex ijs designatis quatuor millibus virorum, præfecti delecti mille trecenti quadraginta sex, quintani octingenti, decani quadringenti, quinquagenarij octoginta, centuriones quadraginta, comites viginti, drungarij quatuor, turmarchæ duo. Ita erunt Præfecti maiores tum minores mille trecẽti quadraginta sex. Sicq; in vniuerso exercitu eligãtur ij strenui milites. Summam totius numeri, vel vniuersum reliquum exercitum potius, quod thema dicitur, horũ quatuor mille virorum delectorum, armatis equitibus ac strenuis militibus complebis, quemadmodum tibi ad opportunitatem temporis idoneum videbitur.

151 Atque hæc quidem ita nobis de-

scribantur, si minor fuerit hostium exercitus, aut si æqualis. Sin longè plures hostium copiæ fuerint, ad prædictam formã exercitum duplicabis, totidem pluribus ad exercitum tuum adiectis, vt vniuersa acies octo millium sit, & singulę cohortes æqualem atq; antea numerum habeant. Sin non satis fuerit duplicare, triplicabis exercitum, & duos alios duces adiunges cum militibus delectis & strenuis, vt fiant vniuersi duodecim millia virorum. Itaque prædicto more vniuersus exercitus describetur, triplicatis vnaquaq; in acie militibus.

152 Si cum paucis & strenuis hostibus negotium futurum est, videturq; tibi vtile esse vno exercitu omnes instruere, treis facito acies, singulas quatuor millium, quemadmodũ prædiximus. vel ętiam si pluribus millibus pro ratione copiarum tuarum abundaueris, & prima acie irruẽtes hostes excipies, & dũ ij hac exercentur, si in fugã vertantur, quiescere cæteros facies. Sin minus, tũ altera acies à tergo illorũ inuadens, irruptionẽ in eos faciet: qua re non parũ hostes profligabũtur. Sin ne sic quidẽ superentur, sed fortiter resistant, tum tertia vel ad latus vel à tergo inuadens, & simul cum alijs hostes circumcludens, funditus delebit.

quamuis enim audacia quasi colore aliquo imbuuntur hostes, carne tamen vacui non sunt, vt vulnera illata sentire non possint.

153 Si cum magnis & ingentibus copijs conflictatio tibi futura est, quatuor millia vnam in aciem conferes, & multitudinem copiarum tuarũ tres in partes diuides, quemadmodum prędixi, in primã & secundã aciem, in tergistites & lateranos.

154 In cornistites præterea & insidias reliquasq; cohortes, quas suprà recitaui, diuides, itaq; instructus atq; apparatus prodibis ad confligendũ cum cursoribus, id est, proclastis primæ aciei & Cornistitibus, si ita vsus ferat, quemadmodũ in capite de belli apparatu diximꝰ. Sin plures adhuc hostes fuerint, maioriq; exercitu opus sit, reliquæ Orientis præfecti suis cum copijs adsint ad huiusmodi vsum parati, in quibus delecti viri ab improbis & ignauis separẽtur, vt in vnoquoq; themate id est, caterua, quatuor millia virorum sint, propter militum nostrorũ diligẽtem hanc ad formam exercitationẽ: & qui spectati viri strenuiq; fuerint, ad exercitum tuum aggregabũtur, & tecũ hostes inuadent. Hanc ad formã etiã triginta millia hominum instrui in acie possunt, ad fortiter & strenuè inimicos oppugnandos.

Hæc

155 Hæc Dignitati tuę ijs de rebus commemorauimus, in quibus nihil nouum fortaſſe aut præter opinionem tuam inuenies, ſed quæ ex antiquis rei militaris ſcriptoribus delibauimus, & noſtra mediocri experientia percepimus, hũc in librum ſtudiosè collegimus, atq; in vnum adduximus, quibus tu pro tua prudentia ingenioq;, occaſione ex ijs noſtris accepta, alia quoq; permulta ijs ſimilia inuenire poteris, quæ neq; ſimul ſcribi, neq; in hunc librum conferri propter longitudinem poterant. Tu verò qui te totum ijs rebus nunc tradidiſti, multa ijs probatiora atq; efficaciora excogitare & conficere Deo propitio poteris, ſi fidem in eũ habeas, & rectionem noſtram vllo cultu ac obſeruantia proſequaris.

## *De nauali prælio. Cap. XIX.*

REſtat iam vt de nauali prælio verba faciamus. Nihil autem de ijs in antiquis rei militaris ſcriptoribus traditum inuenimus: quæ verò ſparſim diffuſa legimus, & mediocri vſu ipſi cognouimus, quæque præfecti noſtri partim alijs inferentes, partim ab alijs accipientes, nobis explicarunt, & quæ occaſionem aliquam afferre poſſunt ad rem bene dro-

monibus,id est,triremibus gerendam,ea paucis explicabo.

2 Primum autem (nam ad te nunc Nauarche verba faciéda sunt) rei naualis peritia ac instructione pollere te oportet,& aëris, ventorum flatus prænoscere, per stellarum apparentium motum & astrorum signa. Tempestiuitatum etiam mutationem perfectè cognoscas, vt si perfectus ijs in rebus fueris, tutus & securus ab omnibus maris tempestatibus conserueris.

3 Dromones,id est,Triremes fabricandæ sunt ad nauale prælium idoneæ, aduersum hostium instructã classem. Itaq; perspecto classis illorum apparatu & vniuersa constitutione, tuam classem omnino sic parabis, vt ad pugnandum cum illis aptissima sit.

4 Triremium confectio neque admodum crassa sit,vt ne tardæ sint ad cursum: neq; ad nimiam exilitatem attenuatę,ne infirma ac fragilis facilè aduersarum nauium impetu elidatur: sed mediocré habeat confectionem, vt incitatus celerq; ad cursum sit, & firmus ac stabilis ad hostes repellendos.

5 Ad triremis confectionem omnia parata habeant,eaq; in promptu & dupla vt ἀὐχένας, remos, scalmos, funes, caria, & tran-

tranſtra illorũ, ceratia & catartia, & quæcunque alia nautica ars ad vſum requirit. habeant præterea ligna concaua, aſſeres, ſtuppam, picẽ, picem liquidã, omniáque inſtrumenta naualia & ad fabricãdas naues ſpectantia, vnus aliquis vector, vt aſciam, terebrum, ſerram, atq; alia eius generis.

6 In prora ſiphonem ære obtectum de more habeas ad ignem in hoſtes eiaculandum, & celsè ſupra ſiphonem pſeudopatium ex aſſeribus confectum & aſſeribus circumtectum, in quo viri ad bellandum inſtructi ſint, qui aduerſum hoſtes ex prora pugnent, vel in hoſtilem nauem tela aut alia ad vaſtandos hoſtes ſpectantia inijciant.

7 Sed & lignea caſtra, quæ in medio catartij ſunt, maximis in triremibus aſſerib. exædificantur, è quibus milites in mediã hoſtilem nauem conijcient vel lapides molares, vel graue ferrum, vt malas cuſpidatas, quibus vel nauem confringent, vel ſubiectos in naue contundent, vel alia in illos profundent, aut hoſtium nauem incendent, aut hoſtes ipſos in naue interficiẽt. Vnaquæq; aũt triremis oblonga ſit & moderata, duos habens ordines remorum, aliũ ſuperiorem, alium inferiorem.

8 Ordo vnuſquiſque habet ad mini-

mum iuga vigintiquinq;, in quibus remiges conſidebunt, vnus ad dextram, alter ad ſiniſtram, qui tum armati milites tum remiges ſunt ſuperiores atq; inferiores viri centum. prȩter hos triremis Centurio, & qui flamulum tenet, & duo gubernatores colli triremis, quos πρωτοκαράβους vocant, & ſi quis alius adminiſter centurionis eſt. Ex ijs remigibus qui in puppi ſunt, extremi duo ſint alter ſiphonator, alter qui anchoram in mare iaciat. Sit & proreta, in ſumma parte proræ ſedens armatus. & nauarchi, id eſt, cẽturionis grabatus in puppe ſit, qui ſimul ſeparatum à cæteris notet centurionem eſſe, ſimul prælij tempore illum à coniectis hoſtium telis defendat. Quorum loco ſingula perluſtrans, ad omnem vſum adduci triremen iubebit.

9 Aliæ triremes ijs maiores fiant, ducẽtos viros aut plures vel minores pro opportunitate locorum temporumq; capientes: è quibus quinquaginta in inferiore remorum ordine locabuntur, centum quinquaginta ſuperius ſtãtes, omnes aduerſum hoſtes armati pugnabunt.

10 Triremes minores fabricabis ad curſum celerrimas, vnũ remorũ ordinẽ habẽtes, quas Galeas vocãt, agiles & expeditas quibus ad excubias aliasq; celeres cauſas vtêris.

11 Alias præterea naues onerarias & equiferas parabis, quas impedimentorum loco habebis, quæ apparatum vniuersum militarem gestabunt, vt ne ijs rebus triremes aliæ grauentur, belliq; potissimũ tempore. Vbi autem commeatu aut armis aut alia materia opus est, inde ad vsum suum depromant.

12 Triremium singularum, militumq; qui in illis vehentur numerum definire facile non est: temporum enim ipsorum opportunitas ad copias hostium expugnandas, tum triremum numerum, tum militum etiam, omnesq; res præterea ad bellum necessarias, indicabit.

13 Naues onerarias & equestres omnia idonea in se habere oportebit, neque res solùm ad nauigandum necessarias, sed etiam arcus, sagittas, iacula, & si quid pręterea propter res circumstantes ad bellicum vsum pertinet. Afferantur etiam armorum genera permulta, vt defectis sępe militibus, arma inde suppeditentur. Mangana etiam habeant, reliquaq; eius generis arma, ne militibus horum defectu offensiones magnæ fiant. Præter milites autem & superiores remiges, quicunque cum centurione sunt, reliquique à primo ad extremũ, omnes armati sint, & scuta, hastas longiores, arcus, sagittas

permultas, ſpathas, iacula, galeas, thoraces: ſi non à tergo, ante ſe ſaltem habeant caſſides, brachialia, anterioraque corporis omnia in ipſa dimicatione & concertatione manuum. Qui autem galeas aut thoraces non habent, omnia hæc ex neruis confecta cum duplicibus cenduclis geſtent: & hi à tergo cęterorum locati, arcubus vtantur, & lapides maniplares, quos cochlaces vocant, in triremibus habeant; quos in hoſtes conijciant, ac pro armis vtantur: lapides enim arma ſunt bona & certa.

14 Neq; verò ſic lapides conijciant, vt omne virium robur in illis conſumant, & de cætero otiosè cõſiſtant, ne hoſtes ſcuta addenſantes & impetum horum excipientes, omnes facilè lapides abſumant: ijs finitis & coniectoribus lapidum fatigatis, conferti exurgentes ſpathis & longis haſtis ſe defendere conentur, & robuſtiores hoc conferto impetu exiſtimati, & fatigatos milites adorti, facilè milites fundant atq; expugnent: ita enim ſolent barbari facere.

15 Saraceni impetum belli primò excipiũt: vbi hoſtes iam fatigatos armiſq; defectos aut ſagittis aut lapidibus aut alijs huiuſmodi viderint, tum inſultant & perterrefaciunt hoſtes, & cominus conſertis

ma-

manibus, ſpathis haſtisq; longioribus fortiter ac impetuoſe inuadunt.

16 Itaq; huiuſmodi cauẽda ſunt, ac prouiſione opportuna efficiendum eſt, vt hoſtes potius damnoſa accipiant, quàm exercitus noſter vllum damnũ accipiat. Robur enim militum & numerus telorũ conijciendorum dimetiendus eſt, & ab initio ad finem vſq; belli hoſtium conſtitutio diligenter perſpicienda, atque adeo pugna inſtituenda eſt.

17 Ad hæc imperator prouidebis, vt res neceſſarias commeatumq; milites habeant, vt ne ijs rebus defecti, vel ſeditionem faciant, vel noſtra in regione municipes & ſubiectos ſub imperium noſtrum vexent, & iniurijs tyrannideq; opprimant, inedia neceſſitateq; compulſi. Atq; ſi fieri poteſt, hoſtilem celeriter populaberis terram, & omnem illis commeatum inde ſuppeditabis: præfectisq; mandabis, vt nullum ſub dominatu tuo militem iniuria afficiat, vel vllum munus ab illo capiat, ne ea quidem quæ conſueta munera nominantur. De tua autem dignitate quid dicendum eſt, qui ne de donis accipiendis cogitare quidem debes? neque donum aliquod ab ijs qui ſub te ſubiecti ſunt, ſiue ditioribus ſiue tenuioribus vlla ratione capere.

18 Milites ſtrenuos robuſtosq́; & alacres in ſumma triremis parte potiſſimū conſtitue, qui conſertis manibus cum hoſtibus dimicent. Sin quos ex militibus ignauiores eſſe deprehenderis, eos in inferiorem ordinem remorum depelle. & ſi quam plagam ſuperiores milites acceperint, eorum loca inferioribus nautis ſupplebis.

19 Vniuſcuiuſq; militis tui habitus, affectus, reliquusq́; mẽtis vigor cognoſcendus eſt, quemadmodum venatores canis vniuſcuiuſq; naturã cognitam habentes, ad omnẽ opportunitatem illis vtuntur.

20 Ita igitur inſtitues omnia, quemadmodum ad propoſitam militiam idonea eſſe videbuntur, triremes & milites, arma & commeatum, reliquumq́; omnem apparatum: quem quaſi tuldum in tuto collocabis, vbi prælium ſperaueris futurum. Quòd ſi neceſſe fuerit vt equos aliquos habeas, in nauibus equiferis cum equitibus aliquot pones, omniaq́; ad bellum præparans idoneè iter facias.

21 Et priuſquam ad claſſem procedas, precibus ac pijs votis ſe mutuò milites Deo commendent, & bonum proſperũq́; iter aduerſum hoſtes precentur. Deinde vniuerſam plebem ſimul & præfectos ſeorſim adhortaberis, vt officia ſua ſedulò in-

induſtrieq; faciant: & omnes quantum fieri poteſt animabis, & vento ſecundo flante ſolues.
22 Temerè ac fortuitò triremes ne procedant, ſed tribus aut quinq; triremibus præfectum vnum deliges, quem Comitem appellabis, qui omnium ſub ſe triremium dux futurus eſt, & diligenter facileq; omnia inſtruet, quæ ad haſtas triremesq; pertinent.
23 Præfecti qui ſub te ſunt abs te mandata accipient, reliquisq; qui ſub eorum poteſtate ſunt tradent. Atq; hæc de regia claſſe. Reliquarum copiarum triremibus drũgarij, id eſt, tribuni & turmarchæ præficientur, qui & ipſi imperatori ſubiecti erunt, & illius imperatis obtemperabũt.
24 Neq; ſanè ignoro, ad ſimilitudinem regię claſſis, reliquorum auxiliorum pręfecti drungarij antiquis temporibus vocabantur, & qui ſub illorum dominatu fuerunt, Comites centurionesq; olim vocabantur. Sed nunc drungariorum ſingulorum dignitas ad nomen imperatorium peruenit, & ſic nũc cùm appellatur, in acies imperatorias diuiditur.
25 Nautas ipſos & triremes exercebis interdum ſigillatim vnumquenq;: interdum iũctæ complures, vt ſe mutuò inuadant, & gladijs ſcutisq; vtãtur: integrasq;

triremes quasi ad aciem instructam adhibebis, interdum inter se mutuò illigatas, interdum solutas, & diuersis modis in se mutuò irruentes. Interdum longis hastis naues hostium depellãt, vt ne propè accedentes naues committantur, & ingentia ex eo pericula consequantur. Omnibusq; modis exerceantur, quemadmodum dignitas tua iudicauerit hostes cum illis dimicare velle, vt ad strepitus, clamores, reliquosq; motus bellicos assuefiant, neque confestim perturbentur, aut inscitè & præter opinionem in hæc incurrant.

26 Sic igitur exercitati instructiq; in acie procedentes nauigent: tantum à se mutuò in cursu distẽt, vt ne se mutuò impediant tũ in cursu maritimo, tum in tẽpestatib. ingrauescentib. & ventorũ flatibus Aciei instructæ & exercitatæ in morem prodeant, & in appulsibus ad terram ordinatè classem instruant, & ad stationẽ aliquam se applicantes, sine vlla confusione ad littus, ad portum, ad locum portuosum veniant, vt si aliqua tempestas in salo oriatur, minus adflictentur.

27 Venti flatus ex signis astrorum prænoscendus tibi est, & locus ad quem applicabis eligendus: & nisi aliqua grauis vrgeat necessitas, sine aliquo secũdo ven-

to aut tranquillitate & tuta spe salutis, in perturbatam aliquam nauigationem ne te conijcias, sed significationes astrorum quas nautæ obseruarunt, reliquaq; quæ ad hanc rem idonea sunt obseruabis, atq; ita iter tuum institues.

28 In castris ponēdis, si ad tuā ipsius appellis terrā, nullumq; timorem hostiū habes, ordinatè ibi requiescant milites, neque die aut nocte indigenarum quenquā lædant, aut iniuriam vllam inferant, aut fruges diripiant, aut agros populentur.

29 Si prope hostilem terram fueris, aut hostes prope adfuturos metuis, excubias eminus habere oportet tum mari tū terra, & vigilantem esse, & ordine instructum, paratumq; ad dimicandum: multæ enim sunt hostiū insidiæ: & si terra te inuenerint procedentem, vim afferent tibi, si quam possint, & naues incēdent: vel per mare noctu aut interdiu irruptionē in te facient. quòd si imparatus ab illis paratis inueniare, facilè ab illis opprimēre; sin paratus fueris, irrita atq; inanis omnis illorum irruptio erit.

30 Quoniam verò horum satis iā mentionē feci, agè de cætero, quemadmodū irruptiones atq; aciē instructā in dimicatione parabis, paucis explicabo, sicut in terrestribus copijs instruendis antea feceramus,

31 Quando igitur belli tempus immine re tibi videtur, congregatis militibus per acies & cohortes, legantur illis militares mulctę, quæ à nobis antea, cùm de terrestribus copijs agebamus, commemoratæ sunt: verbisq; illos idoneis cohortaberis ad pericula suscipienda, vt partim suppliciorum timore, partim tua cohortatione atq; incitatione strènui fortesq; fiant, & in ipso dimicationis discrimine cominus alacriter manus conferant.

32 Incursionibus alijsq; molitionibus imperatorijs adoriēdi potius hostes sunt, quàm vniuersa nauali classe, vel aliqua eius ingenti quasi turma, nisi aliqua grauis necessitas ad hoc impulerit: neq; enim apertam in dimicationem teipsum conijcias. Multa enim fortunę momenta sunt, & casus belli nec opinati.

33 Propterea sedulò abs te cauendum est, ne ad publicam aciem instruendam, quemadmodum dixi, inciteris. Nauibus enim inter se vinctis, perdifficilis & ineuitabilis quædam præliandi necessitas imponitur, neq; quid maximè ex vsu tuo sit, poteris efficere. Ista igitur cauenda sunt, nisi si fidas tum multitudini triremiū, tum armaturæ, tum fortitudini tum alacritati militū, vt hostibus superior sis.

34 Neq; enim nauium multitudo aut ma-

magnitudo bella conficit, nisi milites habeant strenuos, fortes, & ad hostes inuadendos alacres: aut, quod maximum, nisi diuinum præsidium beneuolentiamque habeant, tum puritate, tum integritate vitæ conciliatam: & erga municipes hostes iustitiam colas: nihil impium aut turpe in captiuos illorum patres, aut inhumanus sis, eumque qui nullam tibi iniuriam intulit ne lædas, qui iniuria te affecerit eum cum Dei beneuolentia repellas.

35 Si omnino prælij tempus id exigat, variè & diuersè triremes instrues pro temporum locorumque ratione. Itaq; si confidis te esse superiorem hostibus, quemadmodum prędixi, atque adeo cum illis confligere, quasi in spem capiendorum hostium veniens, ne in tua ipsius terra prælium committas, in qua sperant milites, iuxta vetus prouerbium, si tantum hastas defigant seruari, sed prope hostilem terram potius, vt hostes salutem sperantes, sua in terra fugam dimicationi anteponāt. Miles enim in formidinem aliquam ipso tempore prælij incidens, & fuga se salutem quæsiturum putans, facilè arma abijcit, nihilque fugæ præponit: pauci enim sunt, siue Romanos siue Barbaros spectes, qui mortem fugæ ingloriæ atque inhonestæ, tempore prælij anteponunt.

36 Ante belli diem deliberatio quædam cum præfectis capienda eſt, quidnam faciendum ſit, & quod communi ſententia videtur eſſe optimum, illud conſtituas, & præfectis triremium mandabis, vt ad imperata facienda prōpti ſint. Quòd ſi contraria aliqua ſententia ex hoſtium incurſione interuenerit, tum omnes in tuā triremem intueantur, & parati ſint ex eo ſignū aliquod capere; quid facto opus ſit: quo ſigno oſtenſo, omnes ad illud explendum quod ſigno oſtenditur ſe parent.

37 Præ cæteris omnibus, triremem habeas eximiam, & delectos in ea milites, magnitudine, ſtrenuitate, craſſitudine alijs anteeuntem, atqueadeo vniuerſæ aciei caput: tibi talem triremē facias, qualem πάμφυλον nominant.

38 Similiter reliqui ſub te præfecti quicunq; ſub ſe triremes habent, viros ex illis optimos eligant, & in ſuis ſecum triremibus habeant, vt & illi cæteris præſtent. Iſti omnes ac reliqui præterea in tuam intueantur triremem, & ab ea belli tempore regantur, niſi quid aliud interea cadat, quod alia via ad conficiendum egeat.

39 Signum aliquod in tua triremi, ſiue bandum, ſiue flamûlum, ſiue aliud quippiam celſo aliquo in loco ſit, vt tu eo ſignificare poſſis, quid facto opus ſit: ac cæteri

teri hoc à te propositum negotium suscipiant, siue confligendum in bello sit, siue à bello discedēdum, siue in circuitionem hostium euoluēdum, siue ad afflictæ partis præsidium accurrendum, siue cursum tardare, siue ad celeritatem incitare, siue insidiæ faciendæ, siue ex insidijs adoriendi sint, siue quæ alia signa è triremi tua proficiscuntur, omnia ea intuentes in tuā triremem expleant.

40 Neq; enim eo tempore vel voce vel buccina præcipere possis quæ facto opus sunt: quia magnus tumultus, marisq; fragor, cæteriq; strepitus & triremium concursus atque commissio, & quod maximum, clamor hominum præliantium, illa vt exaudiantur impediet.

41 Signum autem monstrabitur, si directum stet, vel ad dextram aut læuam inclinetur, aut perpetuò agitetur, aut eleuetur, aut deprimatur, aut omnino detrahatur, aut commutetur, aut caput vertexq; eius, vt diuersum videatur, vel figuris vel coloribus, vt olim fieri solebat, immutetur. Nam belli tempore confligendi signum habebant, quod φοινίκιδα appellabant. erat autem camelaucion, hasta longiore eleuatum, rubro colore, atque alia quædā huiusmodi. Sed tutius fortassis sua ipsius manu hęc signa demonstrabuntur.

42 Ita tibi sit consuetudo horum signorum exercitata, vt omnes sub te præfecti, quicunq; triremib. præfecti sunt, certam horum signorum notionem habeāt, tum qua de causa fiat vnumquodq; & quando quomodoq́; intelligant, vt istis rebus bene exercitati, vsus ipsius tempore parati sint ad cognoscenda & agenda ea quæ istis præcipiuntur.

43 Triremium instructionem conflictationis tempore, si quidem tanta adsit necessitas vt necessariò manus conserendæ sint, aut si victoriam te comparaturum speraueris, quemadmodum loco & tempori idoneam ad hostium apparatum instructionem iudicaueris, ita instrues. Neque enim hoc loco dici potest, quid futurum, aut vsu venturum sit.

44 Interdum enim lunabis classem, id est, ad semicirculi formam instrues, alijs triremibus hinc atque illinc quasi cornibus aut manibus collocatis: & in summa fronte potissimum strenui atque alacres constituantur. In ipsius semicirculi ambitu quasi caput dignitas tua consistat, vt omnia perlustres, instruas & administres, & sicubi præsidio opus est, eò præsidia mittas ad subleuandos eos idonea. Hæc lunata forma ad hostes circumcludendos potissimum valet.

45 In-

45 Interdum frontem classis directam instrues, vt vbi vsus ferat in hostium proras irruat, & siphonibus ignem eijcientibus naues illorum incendat.

46 Interdum in diuersas tribuantur acies duas aut tres, pro numero triremium quæ in classe tua sunt: cumque vna cum hostibus dimicauerit, altera in hostes iam iunctos siue ad latus siue à tergo irruat: ita fiet vt hæc subsidia ad defendendam primam aciem missa, ab hostibus sustineri nequeant.

47 Interdum insidiæ apparentur. Cùm enim vagantur hostes, & in nostros, quos paucos esse vident, inuadunt, subitò hæ interuenientes insidiæ & hostium classem perturbantes, omne robur illorum debilitabunt. Interdum verò expeditis & celeribus triremibus confligentibus, & fugam postea simulantibus, & hostibus ad insequendum omnibus remis nauigantibus, & prementibus penè semper, sed nunquam interuertentibus eos quos insequuntur, aliæ tum triremes recentes & minimè antea exercitatæ, eos tum nec opinatò adoriantur, atque adeo illos capiant: vel si quis instructiores fortioresque hostium naues prætermittat, debiliores & imparatiores capiat. Interdum cominus & consertis manibus cum hoste

confligens vſquedum obſcura nox eſt, alias à labore vacuas & recentes triremes ſtrenuas ac robuſtas immittes, quæ illorum in prælio ferocitatem omnem comprimant, atque adeò victoriam de illis reportes: hoc potiſſimum fiet, vbi hoſtes multitudine atq; apparatu nauium longè ſuperaueris.

48 Interdum fugam ſimulàns cum triremibus celeribus atq; incitatis, ad perſequendas naues tuas hoſtes quodam modo prouocabis, puppe tua ad illos conuerſa. Illi autem ad inſequendum concitati, facile aciem inſtructam diſſoluent: itaq; tu in illos conuerſus, ad hunc modum in illos diſperſos diſſipatosq; irrues, & plures quàm illi triremes cùm habeas, duas aut tres ad vnamquanque illòrum triremem ſeparans, de hoſtibus nullo negocio victoriam reportabis.

49 Nauale prælium cum hoſtibus faciendum eſt, vel vbi contigerit illos naufragium facere, vel quando tempeſtate aliqua conturbati elanguerunt. vel noctu incendendæ illorum naues ſunt: vel quando in continentem terram hoſtes diſceſſerunt, vel quemadmodum opportunitas rerum ſe offert, irruptionem facere oportet.

50 Nam cùm magna varietas humanæ

mentis sit, haud facile est futuros rerum euentus vel præscire aliquem, vel prædicere. Itaque fieri non potest vt contra omnes classium apparationes aliquid in præsenti tractatione explicetur, sed ad diuinam prouidentiam hęc referenda sunt, precandusq; Deus est, vt huiusmodi temporibus incidentibus, & deliberent, & cogitent, & efficiant quæ vtilissima ac opportunissima sunt.

51 Multæ molitiones tum ab antiquioribus tum à recentioribus rei militaris peritis, tum contra naues tum contra nautas ipsos excogitatæ sunt: cuius generis sunt, ignis cum tonitru & fumo ignito per siphones emissus & incendens naues.

52 Sagittarij in puppibus & proris & lateribus duobus sagittas paruas iaciant, quas musculos vocant.

53 Feras venenatas alij in ollas inclusas gestabant, & in hostium naues inijciebant, vt serpentes, nepas, scorpios, & huius generis mortifera animantia, quæ si tangantur, mordent, & veneno suo hostes interficiunt.

54 Ollas calce viua plenas alij inijciunt, quib. confractis, calcis viuæ puluis dissipatus suffocat & strangulat hostes, & magno ad præliandum impedimento est.

55 Tribuli, id est, murices ferreæ in ho-

ſtium nauem coniectæ non parum vexant illos, & ad dimicationem ingrediendam magnopere impediunt.

56 Nos autem in primis iubemus, vt ignis parati plenæ ollæ in hoſtium naues eijciantur, quibus confractis naues illorum ſtatim incendentur.

57 Vtantur & ſiphonibus manu coniectis, quæ milites poſt ærea ſcuta teneant, atque hæc χειρσίφωνα nominantur: hæc enim parato igne referta, hoſtium in faciem conijcient.

58 Tribuli maiores ferreæ aut claui in ſphęris ligneis infixi, & ſtuppa aliaq; materia adiuncta incenſi, & in hoſtes coniecti, & in multas variasque nauium partes decidentes, naues triremesq; incendent. Sed & ad hæc extinguenda ſi milites pedibus vſi fuerint, atq; in ijs occupati permulti læſi pedibus erunt, & ipſum prælij impetum debiliorem facient, & non paruum hoſtibus erit impedimentum.

59 Quibuſdam etiam geranijs, id eſt, gruibus, aut alijs huiuſmodi inſtrumentis ad ſubleuanda onera idoneis, quæ orbiculatè ac ſcitè verſantur, aut picem liquidam ignitam, aut alium apparatum, aut materiam aliam in hoſtiles naues tuis triremibus adiunctas, & mangano aliquo in illos vibrato.

60 Vni-

60 Vniuersam hostium classem euertes, si latus classis tuæ hostium lateri adiunxeris, & hostibus vnam in partem, vt solent, ad conferendas manus concurrentibus, & triremibus illorum in nostras triremes innixis, inuadat eos alia triremis ad latus puppis hostilis, & impulsu vehementi illam conquasset. Triremis autem nostra tum seipsam soluens paululum retrocedat, vt ne vllo stabilimento hostium triremi sit, & hostilem triremem alia omnibus viribus deprimat, atque adeo ipsis cum viris integram nauem euertet. Prouidendum autem est, vt ne vinculum omnino æquale fiat, sed ad hostilis nauis puppim nuda aliquantum latera relaxet, quibus irruens triremis hostium nauem vsquedum deprimatur inuadet. Ad hæc præterea excogitemus, vt ab inferiore remorum ordine, remigibus per foramina hastas longas emittentibus, hostes interficere possint, quod in primis necessariũ esse videtur.

61 Sed & aliud hoc magis necessarium est, si quis operas idoneas habeat, per inferiores triremis remorum ordines efficere, vt hostium nauis aqua compleatur.

62 Sunt & alia quædam bellica consilia ab antiquioribus in nauali prælio excogitata, & plura etiam quæ excogitari pos-

ſunt, quæ in pręſentia propter longitudinem minimè perſcribenda ſunt: quędam verò etiam commemorare hoc loco inutile eſt, ne hoſtibus diuulgentur, & illis aduerſus nos hoſtes vtantur. Nam hæ molitiones bellicæ ſi ſemel vſurpatæ fuerint, facilè aliquid contra eas ſuſcipi & excogitari ab hoſtib. poteſt. Quocirca vnumquodq; inuentum vſquedum geritur, occultandum & ſecretò tenendum eſt.

63 In alijs libris quæ de conſilijs factisq́ue imperatorijs ſcribuntur, permulta quis huiuſmodi atq; ijs etiam plura inueniet: neq; enim fieri poteſt, vt de omnib. rebus quæ cadere in bello poſſunt verba faciamus, quæ ipſo genere immenſa infinitaq́; ſunt.

64 Ad ſummam autem ſint triremes inſtructę viris fortibus ac ſtrenuis, qui cominus conſertis manibus pugnare poſſunt, & qui alacri incitataq́; mente ſint, & omnes in partes exercitati. Armis autem talibus exerceantur, qualibus quiuis terreſtri in prælio miles armatur, ijq́; potiſſimum qui in ſuperiore remorum ordine conſiſtunt.

65 Pro hoſtium viribus numeroq́; nauium tuam claſſem imperator inſtrues, vt ne minorem numerũ nauium nos hoſtium claſſe habeamus, ſed æqualem potius,

tius, vt cum hostibus classe iuncta pugnemus, aut maiorem etiam, si fieri potest. Nam si vtriq; fortiter ac strenuè dimicēt, qui plures fuerint præualeant necesse est.
66 Si hostes videris naues omnibus refertas ac ingentes copias habere, exæquabis tu tuas triremes, eodemque numero complebis. Eliges autem ex omnibus optimos quosque, & ex illis satis magnas copias triremibus perfectis ac fortib. conficies, vt duarum triremium milites in vnam triremem conferas: vel ex omnibus, vt dixi, optimos eliges, & ducenti milites vel eo plures vna in triremi erunt, vt multitudine, viribus, alacritate, hostium classem superes, & victoriā ab illis Deo propitio reportes.
67 Minores instruendæ triremes sunt, & vulgatis triremibus expeditiores, vt se insequentes hostes capere possint: sin ab hostibus inuadantur, non capiantur tamen. Istasq; ad opportunitatem temporis conseruent, vt possint vel hostib. malum inferre, vel prouidere vt nullum malum ab hostib. accipiāt. Paruas magnasq; triremes pro hostium ratione, cōtra quos pugnas, apparabis. Neq; enim Saracenorum & Bosphoriorum Scytharum eadem est classis apparatio: Saraceni enim Cūbarijs vtūtur maioribus, & ad cursum tardio-

ribus: Scythæ autem Acatijs vtuntur minoribus, expeditioribus & celerioribus. Nam per fluuios quosdam in Euxinum pontum prolabuntur, neque maioribus hac de causa vti poterunt. Atque hæc à nobis de acie instruenda dicantur. Vbi verò discedere è prælio cogitas, classem tuam lunabis, atque ita discedes: huiusmodi enim forma, quemadmodum antiquiores quidam tradiderunt, tum ad progressiones, tum ad discessiones permultum valet.

68 Bello iam cõfecto, omnia belli spolia ex æquo & bono militibus tuis distribues, & prandia epulasque, & multa conuiuia apparabis, & eos qui se in bello strenuè gesserunt, honorib. pręmijsq; munceraberis: qui aliquid milite indignum gesserit, supplicio ac pœna coerceatur.

69 Multitudo triremium ignauos viros continentium nullius momenti est, ne si aduersus paucos quidem ac strenuos dimicandum sit. Neq; enim multitudine virorum aut paucitate bellum cernitur, sed alacritate & strenuitate milites veri demonstrantur. Quid enim mali non inferẽt pauci lupi permagno gregi ouium?

70 Itaque res hostium diligenter abs te perlustrandæ sunt, & pro illorum ratione triremium apparatum, militum armaturam,

ram, multitudinem illorum & magnitudinem, reliquaq; omnia idoneè aduersus omnes præparabis.

71 Habeas in promptu paruas triremes & crassas, non ad bellum armatas, sed ad excubias & commeatum ac reliquum vsum bellicum: & vnius remorum ordinis naues, quas Galeas vocant, easque armis instructas ad omnem belli euentum. Tu verò ipse in omnib. industrius strenuusq; sis, & acer sedatusque in omnibus rebus aggrediendis atque instruendis, vt Deo complacitus probatusq; fias imperator, & vtrinq; laborum reportes dignam mercedem, à Deo quidem immortalem, quia eius sortem religionemque propugnas, à nobis verò munera honoresq; idoneos, vocationem tuam nullo modo frustrans, sed re & verbo verus imperator sis atque habearis. Et hæc de nauali prælio pro breuitatis ratione satis dicta sint.

## *Diuersarum sententiarum militarium summa. Cap. XX.*

Deinceps post hæc præcepta institutionesque, in has sententias diligenter intueberis, quas ex multis & antiquis de re militari libris collegimus, & hîc breuitatis causa collocauimus: ex ijs

enim ad maiorem rei militaris scientiam peruenire poteris: quemadmodū Sapiens Rex prouerbiorum conficientissimus dicit: Hæc enim si sapiens vir non adsit, sapientiorem tamen te facient.

2 In primis autem aliquod negotium suscepturus, ne te ab ijs segreges qui laborem alicuius rei conficiendæ suscipiunt, sed & ipse quoq; laborabis, & illos quantum potes in opere faciundo promouebis, siue fossas duces, siue eas ductas exaggeres, siue obsidionem, siue armorum apparatum, siue machinationum instructionem adhibeas, siue castella capienda tibi sint, siue aliquod opus publicum atque vtile excogitaueris, aut in exercitum aut in ciuitatem faciēdum, hoc primum tuis manib. incipias: nam illi in pudorem conijcientur, nisi in opere diligentes fuerint, & alacrius tibi obtemperabunt, & negotium susceptum facilius cōficietur. Sin aliqua commeatus inopia exercitum vexauerit, primus tu temperantiā ac moderationem in victu demonstrato, vt reliquis militibus leuiorem & faciliorem rerum necessariarum perpessionē efficias. Sed in cominus conferendis manibus, à dimicatione teipsum retrahe, vt consilio & descriptione rerum, reliquaq; administratione, in ipsa temporis opportunitate exer-

exercitum iuuare possis. Neq; verò incircumspectè aut periculosè, nisi si necessitas vehemēter vrgeat, cum hostibus conferas manus: non enim tantum, quemadmodum suprà dixi, pugnando aciem adiuuabis, quantum cadendo lædes. Quod futurum est autem, incertum est.

3 Mores tui & rerum agendarum studium militibus tuis legis vice sint: ita enim, qui tibi subiecti sunt, imperatoris sui virtutem animo repetentes, Deum colent, imperata facient, & ea quasi diuinitus proposita explebunt.

4 Vbi militum magna multitudo vnum aliquem in locum cōuenerit, illorum delicta leniter & sedato animo feras, neque iudicia nimis seuera crudeliaq; facias, vt ne communis dolor in magnam perturbationem & ordinis confusionem illos conijciat, sed pedetentim in autores horum flagitiorum animaduertere oportet.

5 Sobrius ac vigilans sis imperator, tum multis alijs de causis, tum vel maximè, vt in victu simplex, in reliqua vita militibus tuis expositus sis. Paternum geras erga illos adfectum: cum omni lenitate omnia tum facito, tum dicito, nisi necessaria aliqua causa te ad seueritatem vocet. De rebus necessarijs semper per te apud illos verba facias. Procurabis etiam, vt

nulla cura rerum necessariarum soliciten tur, aut commeatus aliorumq; inopia premantur. Neq; enim ordine aliquo contineri possunt, nisi hæc necessaria omnia illis ad manum sint. In iustis supplicijs inferendis terribilis alijs sis. Initia & causas tumultuum & seditionum præcîdas, neq; expectes dum in maius crescant. Hæc enim imperatoria virtus est, constantem & iustum militibus videri, & ex suis finibus iniustitiam omnẽ expellere, iniurios homines coercere, milites municipesq; suos tutos ab aliorum insultib. conseruare.

6 Neq; humanitas neque seueritas importuna, sed digna imperatore sit, & omnia opportunè dimetiatur, atque ita supplicia inferat, & agentis animum, tempus, locum, modum rei gerendę, causam, ipsius rei gestæ magnitudinem consideret, & pro istarum rerum ratione puniat.

7 Magna imperatoria laus est, temperantem in victu & vigilantẽ esse: noctu enim de rebus grauib. magis deliberamus, faciliusq; noctu concluditur, quando animus ab omni externo rerũ tumultu quiescit.

8 Alia inimicis dicito, alia ipse facito. Res graues atque secretas cum multis ne communices, sed paucis, ijsq; fidelioribus amicis tuis. Ita enim hostes decipere, sæpe necessarium esse diximus.

9 Tardè

9 Tardè ac circunſpectè deliberare, & ea quæ deliberata conſtitutaq; ſunt, aliqua cunctatione aut formidine non reijcere, neceſſarium cumprimis eſt: timor enim non ſolùm tuta res non eſt, ſed etiā rebus bonis inuentis aduerſiſſima eſt.

10 Neq; rebus proſperis efferri, nec aduerſis deijci, firmi animi conſtantisq; eſt, qui poſſit tutò ad omnem rerum euentū conſilium ex tempore capere.

11 Iiſdem aggreſſionibus hoſtes ſemper inuadere, quanquā illis ſæpenumero feliciter vſus ſis, vtile non eſt: hoſtes enim cùm te aſſiduè vti ijſdem vident, aliquid aduerſum molientur & excogitabunt, & permulta damna inferent tibi vtenti.

12 Conſilio & prudentia imperatoria hoſtes ſuperare potius, quàm manu & vi & pugna conſerta, tutum mihi videtur eſſe & vtile. Illud enim ex animi ſententia & quemadmodum optimum iudicaueris procedit, hoc aūt ſemper aliqua cū offenſione belli exitum habet.

13 Reijcere bellum aut differre, quoniam fama aliqua mali aut doli aut inſidiarum percrebuit, neq; iuſtum neque decorum eſt: neq; contrà fama hæc omnino contemnenda eſt, ſiue de hoſtibus ſiue de noſtris commemoretur, ſed aduerſum hæc omnia potius aliquid moliendū

conficiendumq; eſt, priuſquam ea in opus aliquod exeant.

14 Animabit milites magnopere, ſi belli tempore hic rumor differatur, hoſtes in alijs locis à nobis victos eſſe: ita enim fiet vt timidæ mentes excitentur, & fortes magis exacuentur. Bonum enim omē eſt victoriæ nomen, & felicitatem eius à Deo capimus.

15 Hoſtes decipies, ſi per profugos tuos contraria ijs quæ facturus es aut deliberas facere, narraueris: ſi enim non credant, negligent: ſin credant, ab eo tamen quod tu propoſuiſti aberrabunt, & conſilia quæ tu ſuſceperis proficient, illorum autem conatus irriti erunt.

16 Infortunia, & ſi quæ alia huiuſmodi in exercitu accidunt, occultare, & quę veris contraria ſunt militibus diuulgare, conſilij imperatorij & prudentis viri eſt, qui deiectos militum animos ſubleuare poſſit.

17 Exercitui iam ſuperato robur afferre poteris, ſi varijs modis, ſpe bona, tum re tum verbo illos pertractes: exprobrare enim & vehementer inſultare ijs qui iam offenſionem acceperunt, animorum debilitationem deſperationēq; affert, quod in primis mihi periculoſum noxiumque eſſe videtur.

18 Quãdo belli tẽpore à militib. aliquid peccatur, dissimulandũ ad tẽpus & tegendũ est: post belli exitũ autores seditionũ si cognoscas, pœna illos iusta afficias.

19 Militum ignauia dissimulanda, non exprobianda est, ne animi illorum concidant admodum, ac quotidie magis magisq; debilitentur.

20 Magnam animi perturbationem hostibus tuis inijcies, si post bellum vbi cõmodissimè poteris tuos in prælio cadentes congregaueris, hostiũm cadauera insepulta iacere permittas, ac securè iterũ discedas, si opportunitas talis incidat. & id clam hostes facere poteris, si ignes multos vno in loco accenderis, & alio in loco ipse requieueris. Hostes enim ad ignes accedent & decipientur, tu verò quod proposuisti efficies.

22 Vt dissensionẽ & suspicionẽ inter primarios & optimates belli inijcias, quãdo agros hostiũ popularis, illorũ agros nõ vastabis, sed quædam cũ illis signa amicitiæ vel per literas vel alijs modis ostẽdes. Hoc idem facies si per captiuos quos ad exercitum suum iterũ remittis, occultè illis secreta quędã narraueris. Hæc verò si sæpe abs te fiant, quanquã dolus hostib. solum atq; illusio fiant, in suspicionem tamẽ & dubitationem quandam illorum incidit.

23 Deditionem hoſtium abs te obſeſſorum facilè comparabis; ſi ſagittis literas alligaueris quas in ciuitatem aut munitionem iacies,& libertatem illis ſecuritatemq; promittas. Hoc idem feceris ſi per captiuos illis libertatem promiſeris.

24 Neq; hoſtium humanitate, neq; diſceſſionis & fugæ ſimulatione decipiaris: doloſa enim hoſtiū ſunt cōſilia, & ad ſuā vtilitatē hoſtes omnia excogitant. Itaq; vtilitas illorum tibi magnæ offenſioni erit: & dolus illorum,noxa tua erit.

25 Suſpicioſum eſſe debet hoſtes per ea loca inſequi,quę ad inſidias capiēdas opportuna ſunt: quare recedendum celeriter eſt, & incurſio impetuoſior facienda eſt ad tempus: quod conſilium imperatorium laudandum in primis eſt.

26 Suſpicionem timoris habet cunctatio & pallor : vbi igitur tales videris milites , à dimicatione prælij illos ſemoueas,& ad opus aliquod neceſſarium faciendum amandabis.

27 Caſtra munire ſemper tutum eſt, & amicitiæ paciſque tempore. Si prope hoſtes fueris, foſſatum circunducito vel ex lapidibus vel ex lateribus circumuallatū, & ita caſtra tua in tuto ponas.Si enim aliquid aduerſum cōtingat, minus imperatorium erit dicere aliquando,non putarā.

28 Quan-

28 Quando ſine deditione hoſtium ciuitas aliqua aut munitio capiatur, iube aperiri portas vt multi aufugiant, & non in ſummam animi deſperationem cadant. Hoc idem foſſato hoſtium capto præſtabis. Neceſſarium aũt hoc eſt & ſecurũ in primis ad captiuos retinendos.
29 Suſpicionem proditionis & opinionem falſitatis inijcies hoſtibus de ijs qui abs te ad eos profugerunt, vt illis vel diffidant, vel interficiant, ſi literas ad eos miſeris, vt ſtatim poſt has literas perlatas hoſtes ĩuadant, & proditionis tempus inter te & profugos cæteráque probabilia conſtituta videantur. Hoc pacto fiet, vel vt in cuſtodia teneantur profugi, vel vt fides illis non habeatur, vel vt ad te iterum redeant.
30 Timiditatem militum tuorum in aliqua neceſſaria & nec opinata incurſione hoc modo explorabis, ſi infirmos & eos qui debiles equos habent iubebis ab alijs ſeparari: timidi enim vel valetudinem, vel equorum imbecillitatem ſimulabunt, atqueadeo ab hac bellica incurſione ſeparabuntur. Tales vel ad caſtelli, vel ad alterius munitiõis cuſtodiã, vel ad alios vſus ſecuros emittes, vt ne ignauia ſua etiã ſtrenuiores milites labefactẽt. Sin acie iam inſtructa ad præliũ mãdaueris,

23 Deditionem hoſtium abs te obſeſſorum facilè comparabis; ſi ſagittis literas alligaueris quas in ciuitatem aut munitionem iacies,& libertatem illis ſecuritatemq; promittas. Hoc idem feceris ſi per captiuos illis libertatem promiſeris.

24 Neq; hoſtium humanitate, neq; diſceſſionis & fugæ ſimulatione decipiaris: doloſa enim hoſtiũ ſunt cõſilia, & ad ſuã vtilitatẽ hoſtes omnia excogitant. Itaq; vtilitas illorum tibi magnæ offenſioni erit: & dolus illorum,noxa tua erit.

25 Suſpicioſum eſſe debet hoſtes per ea loca inſequi,quę ad inſidias capiẽdas opportuna ſunt: quare recedendum celeriter eſt, & incurſio impetuoſior facienda eſt ad tempus: quod conſilium imperatorium laudandum in primis eſt.

26 Suſpicionem timoris habet cunctatio & pallor: vbi igitur tales videris milites, à dimicatione prælij illos ſemoueas,& ad opus aliquod neceſſarium faciendum amandabis.

27 Caſtra munire ſemper tutum eſt, & amicitiæ paciſque tempore. Si prope hoſtes fueris, foſſatum circunducito vel ex lapidibus vel ex lateribus circumuallatũ, & ita caſtra tua in tuto ponas. Si enim aliquid aduerſum cõtingat, minus imperatorium erit dicere aliquando,non putarã.

28 Quan-

28 Quando ſine deditione hoſtium ciuitas aliqua aut munitio capiatur, iube aperiri portas vt multi aufugiant,& non in ſummam animi deſperationem cadant. Hoc idem foſſato hoſtium capto præſtabis. Neceſſarium aũt hoc eſt & ſecurũ in primis ad captiuos retinendos.
29 Suſpicionem proditionis & opinionem falſitatis inijcies hoſtibus de ijs qui abs te ad eos profugerunt, vt illis vel diffidant,vel interficiant,ſi literas ad eos miſeris,vt ſtatim poſt has literas perlatas hoſtes inuadant, & proditionis tempus inter te & profugos cæteraque probabilia conſtituta videantur. Hoc pacto fiet,vel vt in cuſtodia teneantur profugi, vel vt fides illis non habeatur, vel vt ad te iterum redeant.
30 Timiditatem militum tuorum in aliqua neceſſaria & nec opinata incurſione hoc modo explorabis, ſi infirmos & eos qui debiles equos habent iubebis ab alijs ſeparari: timidi enim vel valetudinem,vel equorum imbecillitatem ſimulabunt, atqueadeo ab hac bellica incurſione ſeparabuntur. Tales vel ad caſtelli, vel ad alterius munitiõis cuſtodiã, vel ad alios vſus ſecuros emittes, vt ne ignauia ſua etiã ſtrenuiores milites labefactẽt. Sin acie iam inſtructa ad præliũ mãdaueris,

vt qui præſtes diſcedere vult diſcedat, & qui vult in illius locum ingrediatur, non modò timidos milites cognoſces, ſed etiam fortes ſtrenuoſq; ſcies. Timidi enim initio prodent ſe priuſquam bellum incipiat, fortes aũt poſt bellum incœptum ſimul periclitari cupient.

31 Temporis opportunitas, niſi aliter neceſſitas vrgeat, abs te conſeruanda eſt, atque adeò hoſtes inuadas, vt neque tui commeatu deficiantur, & hoſtes magis vexentur omni labore, & agris iam depopulatis.

32 Victis iam hoſtibus idonea abs te cuſtodia ad tuos defendendos collocanda eſt: vitandæ enim ſubitæ incurſiones hoſtium ſunt: non enim quieſcunt hoſtes vllo tempore, ſed belli offenſionem, occaſionem ſibi ad res melius & cautius gerendas accipiunt.

33 Hoſtium legati, qũãuis magnitudine copiarũ admodum valeas, abs te minimè violãdi ſunt: ſociali enim modo adſunt tibi, & quanquã ab hoſtib. mittũtur, ſeipſos tamẽ quodãmodo in manus tuas tradunt. Sanctum & iuſtũ quod eſt, erga oẽs ſeruandum eſt. Aliàs enim de ſua ſalute laborantes Legati nunquã ad te venient, & legationis genus ipſum apud omnes nationes minus vſitatum erit.

34 Quan-

34 Quando magnis cum copijs ciuitatē aut castellū obsides, castra tua haud munita custodijs relinquere nō oportet, neq; solo vallo aut fossis ad custodiā contentū esse, sed & excubias habeas accuratas, & exercitus tuus ad portas ciuitatis sedeat, propter excursiones quæ è portis fiunt, & propter irruptiones quæ ab externis locis eò confluunt.
35 Proditores quidam persæpe in exercitu tuo esse timentur. Vt igitur ex ijs vtilitatem capias, percōmodum fuerit contraria eorū quæ facturus es illis narrare, vt hoc modo deceptis hostibus, facilius & melius consilia tua procedant.
36 Sine ingenti vtilitate aut necessitate periculum ingrediendum non est. Qui enim talia suscipiunt pericula, similes hominibus sunt qui auri īmpostura inescantur, & propter coloris solùm suauitatem aurum hoc possidere vehementer cupiunt.
37 Vigilans & sobrius in omnibus rebus gerendis, & aduersus oēs hostiū aggressiones sis, vt neque intermissionis belli tempus, socordiæ tempus putes, neque ante pacis perfectæ tempus vllam rem tibi negligēdam arbitreris, sed hostium insidias sedulò vitabis, & prudenter illorum perfidiam qualis sit cogitabis: vbi enim

malum acceperis, hæc sera pœnitentia nullum momentum afferre potest.
38 Qui ad te ab hostib. profugerunt, facilè tibi hostium consilia nunciare possunt: sed certius cognosces, si qui in incursionibus abs te capti sunt, ad te de hostibus aliquid referant. Quòd si quæ à transfugis & captiuis dicuntur conueniant, veritatem magis eorum quæ quæruntur intelliges.
39 Nullo modo nulláue de causa iusiurandum hostibus firmatum violes: magnum enim malum periurij crimē est. In quib. enim rebus Deus intercedit, firma necesse est pacta esse. Ignominia enim magna est Romanis ac Christianis, si cū reliquæ nationes iusiurandū fidemq; cōseruent, ij perfidi Deo intercedēte ac mediatore deprehendantur.
40 Vallo aut fossato circumseptus, si quando res exigat, ne in sola munitione spem salutis reponas, quasi ad te defendendum idonea, sed secundum Deum armis tuis confidas: neq; quāuis tutissimo in loco fueris, cætera arma contemnas, si verè Romanus sis. Prima enim & extrema vero militi salus erit armorum suorū cura & conseruatio: reliqua omnia præ hoc plebeia & vulgaria existimāda sunt. Antiquos enim Romanos murorum vi-

ce fossam & arma vsurpasse legimus. Et Lacedæmonius miles olim interrogatus, vbi ditionis suæ termini essent, dixisse fertur, hic, hastam vibratam manu ostendens.

41 Adhortaberis milites semper vt ita parati sint, vt omni tempore, sereno, pluuio, noctu, interdiu, vbi vsus fert, aduersum hostes instruantur: talibus enim tēporibus ne horam quidem aliquam constitutam assignare oportet, vt in promptu omnino sint.

42 Victoria tibi in publico prælio à Deo obiecta, si fortè hostes vel ad vallum, vel ad aliquem munitum locum confugiant, nullum relaxandi tempus illis tribue, sed terrore recente impendente illos adoriaris, ne relaxatione aliqua illis concessa, firmiores & paratiores fiant ad victoriam amissam quantum possunt recuperandam.

43 Si qui serui hostium ab illis ad te confugerint, ne quosuis statim recipias: sæpe enim ab hostibus dolo mittuntur quasi serui & cæterarum rerum egentes, atqueadeo illis qui se recipiunt insidiantur.

44 Cauendum sedulò obseruādumq; est ab ijs qui ab hostib. ad obsessas vrbes vestras dilabūtur: sæpe enim huiusmodi ciuitates solent incēdere, & ciuib. in restia-

guenda flamma occupatis, obsessores ciuitatem melius inuadunt.

45 Bello proposito si speraueris te habilem ad oppugnādos hostes esse, illorū in regione præliū committas: hoc enim magis idoneū erit, q̄ si in tua ipsius regione pugnes, & animos tuorū strenuiores facit: & de sua natione bellū nō erit, sed de sua ipsorum salute. Nouerunt enim, se, si non strenuè atque alacriter in bello cum hostibus dimicent, in fugam vertendos esse, & de salute sua nullam spē esse posse. At regione in sua contrà sperant: nam & fuga salutem quærere se posse sperant, & ad munitiones venire, quibus seruentur: atque adeo cùm strenuè hostibus resistere non necesse habēt, ad fugam securam se conuertunt.

46 Vbi belli nulla perturbatio est, non ocio torpescant milites, sed hæc agāt potius: ocium enim militibus, magnarum seditionum & turbarum causa est.

47 Colendus omnino Deus est. Bellorū aūt in exordijs maximè illum veneraberis: si enim illum colueris purè ac religiosè, sicuti fas est, in omnibus periculis & perturbationibus supplicabis illi quasi amico, & salutem ab illo comparabis.

48 Vigilans imperator & exercitum suū contentione corporis & laboribus occu-

pa-

patum tenens, minus in omnibus bellicis motibus periclitabitur.

Milites in prælium educendi non sunt priusquam illorum periculum feceris, sed cognoscendus vnusquisque miles est, quam ad rem; & qua in acie sit vtilis, itaque instruendus est.

49 Hæc sola aduersus hostes deliberabimus quæ incognita illis sunt, antequam à nobis gerantur: si enim aliquam harum rerum notitiam habeant, facilè aduersus conatus nostros aliquid molientur.

50 Dolis, incursionibus, fame, hostes lædēdi vexādiq; sunt, & crebriorib. aggressionib. insultibusq; adoriēdi: neq; ad cōmune publicumq; prælium euocādi, vbi valere fortunæ instabilitas solet, potius quàm vlla virtutis constantia.

51 Milites laboribus assuefacti strenuiores indies fiunt, ociosi aūt magis ac magis debilitantur. Efficiendúm igitur est, vt laboribus exercitati sint, quemadmodum tibi aliàs præscripsimus.

52 Ad omnes vitæ partes, præterquam in bello, incallidū te esse præcipimus. Ibi aūt & in ijs te imperatorijs cōsilijs dolus adiuuat, vbi hostes eo decepturus es.

53 Cognosce & expende tuas vires atq; hostium diligenter: hoc si feceris imperator, & singula diligēter fideliterq; per-

luſtraueris, ægrè in bellicis rebus ſuperaberis aut expugnaberis.

54 Fortitudine ac inſtructione militari longè maiores res in bello gerũtur, quàm multitudine militũ ignauorum confuſa.

55 Locorum ſitus ſæpe pugnantes vehementer iuuant, & imbecillioribus victoriam promouẽt. Itaq; ijs in locis te ad pugnandum præpares, in quibus cognoueris exercitum tuum meliores, hoſtium autem deteriores habiturum.

56 Imperatoris ſolertia generoſos milites reddit: natura enim paucos fortes creat, cura aũt & induſtria, ſi imperatoria ſolertia adiungatur, multos ſtrenuos facit.

57 Bonum mihi videtur eſſe iuſtam habere cauſam bellandi: nam qui iniuriam illatam propulſat, hic iuſtus eſt, & diuinam iuſtitiã adiutricem habet, dum iniurios homines repellit. Qui verò primus iniuriã intulerit, diuina vindicta ac iuſtitia à victoria belli abeſt.

58 Circumſpectè poſt victoriã hoſtes inſequaris, neq; diſſipatis copijs tuis illos in acie inſtructa fugientes perſequaris: qui enim hoc facit, victoriam ſuam hoſtibus prodit: nam hoſtes acie inſtructa conuerſi in tuos confusè & diſiectè inſequentes, facilè te ſuperabunt, & momenta victoriæ ad ſe transferent.

59 Ho-

59 Hostes maximè expugnabis, quando in locorum temporumq; opportunitates & hostium pugnantium vires intueris, atq; ad omnem vsum bellicum consilia conatusq; tuos conferas.

60 Neque congregare simul exercitum consilij causa par est: neque idoneum vt singulos ociosos milites & nulla in re occupatos ad te voces atq; increpes: hæc enim seditionis,& importunarum turbarum causa esset. Magna prudentia imperatoria est;quando ijs socijs ad regionem suam defendendam vtitur, qui minores & non plures proprijs copijs existunt, quosq; aliàs inimicos sibi maximè futuros arbitretur,ne si plures fuerint, & inter se consenserint,eam inuadant regionem & superent, propter quam in societatem tuam asciti sunt. Qui verò pecuniarum causa pro te periclitari volũt, fortassis maioris summæ causa contra te ex contraria parte dimicarent.

61 Quando exercitui commeatum & res necessarias non præparas,facilè absq; hostibus superaberis: egestas enim & inopia commeatus, tum milites tum equos etiam contabefacit.

62 Si quando equestribus copijs tuis fretus es,& ijs in primis qui hastati sunt,angusta atq; inæqualia loca deuita, & loca

plana expoſitaq; exquire, hæc enim ſunt ijs qui ſic inſtruuntur idonea, ibiq; committe prælium. Sin pedeſtrib. copijs fretus ſis, inæqualia, condenſa & aſperiora loca elige, & in illis bellum geras.

63 Si de te tuisq; copijs aduerſum hoſtes aliquid deliberaueris, & conſilium tuum hoſtibus patefactum eſſe intellexeris, omne conſilium tuum quod intenderas ſiue in acie inſtruenda, ſiue in alijs pręceptionibus formisq; ſit, repudiato.

64 Cum plurimis de rebus gerendis delibera: quid tu ipſe facturus ſis, cum paucis, ijsq; fidelibus admodum communica. Quid verò potiſſimũ factu ſit, & quod ex omnibus conſilium eſt optimũ, apud teipſum ſolum ſerua.

65 Vt exercitus integer ac ſine vlla perturbatione ſit, vel eò exercitum ducito, vbi commeatus rerũmq; neceſſariarum abundantia eſt, aut ipſum commeatũ & res neceſſarias exercitui apportabis.

66 Non per ſpeculatores ſolùm perluſtranda via exercitus tui eſt, ſed & tu imperator, ſi cõmodè & clàm poteris, tuis ipſis oculis omnia loca perueſtigabis: neque vias ſolũm, ſed etiã hoſtiũ aduentantiũ multitudinẽ & illorũ aciem, vt inde tu inſtructus poſſis ad tuorum ſalutem & hoſtium offenſionem omnia excogitare.

67 For-

67 Formidinem militum ac animorum demiſſionem ad magnitudinem animi reuocabis, & artibus varijs ac modis illos exuſcitabis, interdum oratione, interdum donis ſubleuabis, & abiectas illorũ mentes ad aliquam tranquillitatem ac ſtrenuitatem eriges.

68 Aliqua etiã ſacrorum templorum atque aſylorum religio ſit, & conſeruentur qui ad ea loca profugerunt: neq; tu neq; ex tuis quiſquã eos qui ad ſacra confugerunt violes. Eos aũt qui tale aliquid patrant, iuſto ſupplicio coërcebis.

69 Ab omni negocio domeſtico atque iniuria liberam plebem tuam conſeruabis, quæcunq; in exercitu eſt, & quæ exautorata eſt. Satis enim illis eſt tributum publicum pendere, nullaq; alia re premi. Si caſtellum aliquod, aut porta, aut pons conficiendus ſit, vel via aliqua ſternenda, aut aliud quid publicum extruẽdum eſt, neque publicis ærarij expenſis abſolui poteſt, vnuſquiſque tum ex æquo huic operi inſeruiat, nemoq; ab hac re excuſetur neq; amicitia neq; donis, vt ab officio ſuo abſit, ſed iuſta & certa cum proportione vnuſquiſque tum diues tum pauper pro viribus ſuis publicum ſeruitium præſtet.

70 Militum in bello cadentium, atq; eo-

rum potiſſimum qui ſtrenuè ſe gerunt, & pro fide Chriſtiana mortui ſunt, corpora honeſtè ſepeliantur, eosq́; bona atq; honeſta commendatione mortuos proſequamur. Sed & liberi illorum & coniuges, vniuerſaq́; familia, tua prouidētia ac præſidio alantur. Ita enim milites alacres atq; incitati ad bellica pericula ſuſcipienda erunt, ſi in illorum exceſſu è vita cernant, quid poſtea ſe ac ſuis fiat, ſi ſe ſtrenuos in bello geſſerint.

71 Ea quæ ad bellum pertinēt hyeme parabis, vt vere ineūte nulla re defectus aut deſtitutus prælium inire poſſis.

72 Oratione blanda ac benigna milites ſemper appellabis, & exhortaberis vt inter ſe conſentiāt, & beneuolo animo toto hoc prælij tempore inter ſe ſint, vt alacrius ſe mutuò defendant.

73 Vbi publicam aliquam aciem & permiſtam ex equitatu & peditatu inſtruis, peditatum ad decem virorum altitudinem per contubernia inſtrues, equites autem quaſi duo cornua hinc atq; illinc peditum collocabis.

74 Spectati milites hoc modo explorantur, ſi imprudentibus illis, ſonus quidam ac ſtrepitus vel tympani vel alterius nouæ atq; inauditæ rei de improuiſo perſonet. Eos enim qui intrepidi ſunt, neq; ad

hunc

hunc sonitum expauescunt, quasi stabiles fortesque eliges, & præfectos ex illis deliges.
75 Initio belli preces Deo adhibendæ sunt, adiutorq; inuocandus est, vt ne in discrimina aliqua delabantur, aut aliquid quod facto opus sit prætermittant. Nam Deo propitio, manus admouendæ ad res agendas sunt, & quasi instrumenta obedientia, corpora nostra præbenda sunt. Neq; enim qui non manet, sed fugit hostes, superabit: neq; qui rem non incœptat, fortunatus erit, sed precandum est vt victoriam belli à Deo consequamur, vt armis nostris vtamur, & in pugna adiutorem illum habeamus.
76 Signorum quorundam & portentorum spectra, milites in timorem conijciunt: quæ si contingant, exquires & ipse aliquid, quo possis illorum mentes in cōtrariam sententiam vertere, & oratione tua aliquò traduces, vt quibus rebus in animi dimissionem inciderunt, ijsdem iterum in alacritatē & spem bonā erigātur.
77 Rumore de victoria iniecto, alacrior ad prælium suscipiendum exercitus erit. Si igitur tali rumore alacritatem militibus attuleris, & fortiter ac strenuè in bellum ingressus fueris, bonam spem habe propitio Deo victoriam affuturam.

78 Scipio olim Rom. communibus suffragijs cùm 18. annorum esset, imperator delectus est. Initio autem magistratus sui iussit omnes lectulos, mensas, varia pocula, & reliqua vasa omnia amandari, præter ollam æneam & subulam ferream, & poculum alijs argenteum, alijs ligneum. Vt verò nemo lauaret se, aut vllo oleo inungeret, præcepit: & vt oēs obsoniū in prandio incoctū, quod ad ignē nunquam admouebatur, haberent, in cœna aūt carnes aut coctas aut elixas, & paruo sub tegmine præfectus recubaret. Itaq; vniuersum tempus imperij sui transmittēs, victorijs & prudentia imperatoria cūprimis illustris habebatur. Astrologiam aūt, & prædictiones rerū, & portentorū præsentiones, & auguria, & insomniorū diuinationes, reliquasq; huiusmodi prænotiones & iudicationes, aliaq; omnia quæ prouidentiam, solertiā imperatoriā reprimere possent, repudiauit, atq; abdicauit. Hunc si imiteris, consimilē gloriā, similia victoriæ trophæa reportabis.
79 Arcus & sagittæ arma sunt parabilia, & vbi vsus requirit magnam afferunt vtilitatem. Præcipimus igitur tibi, vt mandes omnibus tuis qui in castellis, vicubus, & alijs locis sub imperium tuum subiectis habitant, atqueadeo omni-

omnibus vt si fieri possit, vnusquisq; vir, sin minus, vnaquæq; saltem domus arcũ habeat & sagittas quadraginta, illisque se exerceant, tum in locis planis atq; aspe ris, tum in condensis. Milites enim in bel lo illis vtantur: alij autem suis locis, si quando cõtingat subita aliqua incursio in illos esse. Nam & in saxis præruptis, & in angustijs locorum, & condensis in syluis viri stantes, magna damna hostibus sagittas iaciendo inferent, neq; audebũt hostes fortiter illos inuadere. Itaq; huiusmodi sæpe loca tuta, & sine aliqua noxa conseruantur, hostibus præ timore sagittarum eò accedere formidantibus.

80 Vbi Deus tibi pugnanti victoriam dederit vt hostes tuos profliges, ne permittas vt milites dissipata & disiecta acie vel arma diripiant, vel apparatum ho stium populentur, vt ne conuersi hostes damnum inferant ijs qui insequebantur. Superati enim prælio, ne apparatum quidem proprium retinebimus, victores autem tum nostrum tum hostium arma habebimus.

81 Imperator munera capiens res grauis ac perniciosa ciuitati est: nam & milites attenuati ex eo pauperiores fiunt, & præfecti omnes tum maiores tum minores, hoc malo latius serpente, minus

strenui ad res gerendas redduntur.

82 Speculatores elige firmos, celeres, fideles, industrios, existimationis suæ gloriam pecunijs anteponentes. Nam qui tales fuerint, veritatem ad nos referunt. Qui autem leui animo, timidi, pecuniæ cupidi sunt; veritatem nobis explicare non possunt: itaq; magnarum offensionum autores sæpe fiunt tum imperatori, tum vniuerso exercitui.

83 Facilè milites in expeditionibus, donis ac spe bona illustriores redduntur: pacis tempore, vel timore vel pœna eorum qui deliquerunt, à nefarijs factis reprimuntur.

84 Scias te imperator fame & frequentibus incursionib. hostes magis læsurum, quàm si armis coneris illos opprimere.

85 Si res tuas firmas, robustas, & perturbationi minus obnoxias cognoueris, & hostium speculatorem aliquem belli tempore ceperis, ne eum apud te retineas, sed permitte vt ad suos redeat, & vniuersas copias tuas atq; apparatum illis ostendat: ea enim res illorum animos vehementer perturbat. Sin imbecilles tuæ fuerint copiæ, hunc ita coërceas, vt tibi hostium secreta consilia enunciet, & ad extremum vel illum trucidabis, vel aliquò aliò ablegabis.

86 Ea quæ geri abs te poſſunt, & magna ſunt, cum prouiſa ac circumſpecta deliberatione, quid maximè ex vſu tuo ſit, ſuſcipias: vbi ſuſceperis, ſine vlla dilatione quę deliberata ſunt conficias. Nam Alexander aliquando rex, quomodo paucis annis tot tantasq; res adminiſtraſſet interrogatus, reſpondiſſe fertur, quia nihil quod hodie faciendum fuit, in proximum diem diſtulerim.

87 Vbi tibi ſocietate opus eſt, eam cum exercitu tuo non miſcebis, tumq; minimè, ſi fide ac religione alia ſit quàm tu es: ſed caſtra atq; itinera illorum à tuis longè ſeparabis, & conſilia conatuſq; aciei tuæ ab illis quantum potes occulta, vt ne ſi ea cognouerint, vbi inimicitiæ inter vos poſtea fuerint, ad confligēdum tibi habiliores ſint. Sed neq; maiorem ſocietatem aſciſcas, quàm tuæ ipſius copiæ ſunt, vt ne, quemadmodum antea diximus, vel tibi inſidientur, vel locum abs te expugnatum præripiant.

88 Imperator qui pacem affectat, ad bellum ſe præparet. Si enim volueris facere vt hoſtes abs te aut dimicationis tempus aut pacem petant, teipſum paratū ad bellum demōſtrato: ita enim timidiores reddentur, & pacem amplectentur.

89 Luxum nunquam amabis, tum au-

tem minimè, quando cum exercitu es: communis enim clades ea exercitui & imperatori est.

90 Neque prosperitate rerum elatus sis, neque aduersis rebus deprimaris. Neque enim mollis aut fractus exercitui tuo videri debes, sed constans & grauis, & ad omnem fortunam accipiendam fortis. Nam qui facilè lætitia gestit, facilè etiam dolore contrahitur, & languidæ mentis effœminatęque hoc magnum argumentum est.

91 Quicquid immoderatum est, haud probandum est. Itaq; neq; admodum terribilis subiectis tuis, neq; nimis facilis sis: vtraque enim minus apta imperatori in exercitu sunt. Multus enim timor odium ingenerat, magna facilitas contemptum parit. Moderatio igitur quædam adhibenda est, vt in vtrãq; partem moderatus sis, neque supplicia nimis crudeliter atque iracundè inferas, neq; rursus omnia soluta atque impunita relinquas, vt ne magna in confusione ac perturbatione rerũ exercitus tuus videatur esse.

92 Belli tempore noctu de rebus agendis deliberauimus, interdiu autem deliberata faciemus. Neq; enim idem tempus esse debebit consilij & actionis suscipiendæ.

93 Victor

93 Victor terribilis hostibus imperator cēsebitur, non qui verbo solum aduersus hostes gloriari poterit, sed qui re ipsa firmare quod verbis dixit poterit.

94 Si quando paruum habes exercitū, & hostium tuorum copiæ longè plures sunt, minorem angustioremq; locum capito, & copijs tuis idoneum. Itaque fiet vt multitudo hostium inutilis fiat, vbi locus multitudinis minus est capax.

95 Inducias & fœdera belli cum hostibus faciens, ne propterea in negligentia aliqua aut socordia sis, sed maioribus atque accuratioribus custodijs castra aut regionem tuam munias. Si enim fœdera violare hostes voluerint, præter indignationem iramque Dei, perfidiam sibi accersunt, tu verò vndique munitus & Dei præsidium habes & fidem conseruas, & honesto in loco apud omnes propterea es. Turpe est enim imperatori dicere, non putaram.

96 Hoc etiam ad imperatoriam laudem magnopere pertinet, reputare tecū & experientia certa cognoscere, hostium castra quāta sint. Hoc fiet, si teipsum exercueris vt cognoscas, quantus vnusquisque locus & qualis sit, quotq; milites, quemadmodum nobis antè descriptum est, capere possit.

97 Par est autem, quemadmodum hostium copias studeas cognoscere, sic & hostibus minus cognitæ tuæ sint. Vbi verò multitudinem copiarum tuarum clàm hostes esse cupis, militibus præcipies vt densati ambulent: addēsatio enim & cōtractio hebetat hostiū oculos, & pfectè numerū tuorū comprehendere non sinit. Contrà aūt, si exiguas copias tuas efficere cupis vt plures videantur, rariores inambulent & consistant milites, & ampliorem spatiosioreḗq; locum quàm multitudo illorum requirit, exigant. Vtraque enim horum si idoneo tempore locoque fiant, ad decipiendos hostes magnopere valebunt.

98 Si æquales tuæ hostiumque copiæ fuerint, ille melius instruit exercitum imperator, siue tu, siue hostis fuerit, qui plurimis ad bellum consilijs factisq; imperatorijs valuerit.

99 Ne patiaris vt hostes suas copias prisquā tu instruant, sed contēde vt ante illos tuæ paratæ sint. Si enim prior instruxeris pro arbitratu tuo, iā paratus quiduis suscipias: hostis aūt fortasse ne tempus quidem seipsum armandi, iam nunc tuam metuens incursionem, habebit.

100 Si igitur ita te ad confligendum præparaueris, hostes tuos tutò ac idoneè

adorieris, & audaciam copijs tuis afferes, & timorem hostibus inijcies.

101 Maximæ tibi curæ sint milites sauciati vt seruentur. Si enim eos neglexeris, militum animos à prælio abhorrentes & deiectos efficies: neq; id solum, sed etiã qui diligentia & cura conseruari poterãt, negligentia amittes.

102 In fugam iam conuersis hostibus, præcipe militibus vt præda abstineant, ne dum illi dispersi in præda colligenda occupati sint, hostes illis insidientur atq; opprimant: sed milites illos in acie instructi tutò insequantur. Qui ad colligendam prædam instructi sunt milites, in prælio sauciatos colligent & accurabunt, & cadauerum spolia decanis tradant, qui, quemadmodum suprà à nobis præscriptum est, diligenter procurabunt, vt ad supradictum modum æquabiliter tribuantur.

103 Qui sæpius consilia coniectat imperator, is ad bellum & apparatum bellicũ maximè idoneus esse videtur.

104 Maximum imperatoris peccatum est, vno prælio omnes copias superandas tradere. Si enim prudenter se aduersum hostes instruxerit, ita exercitum apparabit, vt si quæ offensio ei contingat, vel

ordinatè diſcedat, vel facilè offenſionem belli recuperet.

105 Hoſtes maximè excruciat ordinatè atq; æquabiliter acies inſtructa, quæ ſic totum tempus prælij permaneat. Caput enim omnium in acie eſt & ad ſalutem firmiſſimum, vt milites in bello tum aciẽ tum interualla locorum conſeruent.

106 Solem & ventum & puluerem à tergo tuorum habeas, & ex aduerſo faciei hoſtium: hoc enim in primis vtile eſt: ſiquidem hoſtium oculi vel ſole hebetati, vel ſpiritus puluere obſtructus, vel corpora vento tranſuerberata, facilè tibi victoriam concedent.

107 Temerarium hoſtem tuum ad temeritatem & motus quoſdam inanes euoca: ſin timidus fuerit, continuis incurſionibus & nec opinatis illum adoriaris. Imperatoris enim hoſtium natura cognoſcenda eſt, & pro eius ratione cõſilia factaq; tua omnia inſtitues.

108 Qui ad dicendum inſtructus imperator eſt, timidos multorum animos ad prælium accendit, & calamitatibus acceptis facilè ſuos conſolatur, & ſtrenuos viros magis roborat, & multorũ bonorum vniuerſo exercitui autor eſt.

109 Sobrius ſis & vigilans, & omnium militarium laborum perferentior cæteris

mili-

militibus. A' lucri cupiditate abſis: ita e-nim beneuolentiam & cupiditatem bo-nam tibi apud omnes cōparabis, & cùm ab illis diligeris, prompti ad omnes labo-res ſuſcipiendos erunt.

110 Vbi victoriam tibi Deus dederit, & hoſtis pacem vtilem exoptat, ne nimis durus ſis, ſed cōcede hoc illi & pacē cum illo facias. Cogitare enim debes ancipitē belli exitum, & quotidianam rerum mu-tationem atq; conuerſionem.

111 Hoc autem quod ſæpe commemo-raui, in primis memoria teneas. Maio-rem te curam prouiſionemq; armorum facere debere, quàm aliorum quæ ad ar-ma pertinent. Nam commeatus ceteraq; neceſſaria vel ex hoſtiū regionibus ſup-peditari poſſunt: ſine armis autem, aut etiam ijs deficientibus, hoſtes profligare non potes.

112 Clamoſus & vocalis exercitus, atq; ad ouandum idoneus, hoſtium aciem ma gnopere perturbabit.

113 Si multitudine arcuum hoſtes fre-ti ſunt, humidius cœlum obſeruabis: tum enim languidiores illorum arcus fient. Quòd ſi tum cum hoſtibus confliixeris, minus de illorum ſagittis laborabis.

110 Qui ſuis rebus geſtis prælucet, non qui generis dignitate commendatur, il-

Illustris imperator est: quemadmodum neq; aurea hasta vtilis ad bellum, sed ferrea & acuta est.

115 Magna grauitate videberis esse, quādo non præsentia solùm rectè gubernas, sed quæ futura etiam sunt prospicis, illaq́ue idoneè administras.

116 A' voluptatibus se temperare, omnibus est optimum, imperatori aūt præcipuè, bellicis verò temporibus in primis necessarium est.

117 Neque anceps prælium & multam habens varietatem lubenter inchoa: neque eos qui temerè vel insidiosè potius rebus suis vsi sunt, & propter fortunam suam in admiratione sunt, imiteris, sed quando bellum futurum est, hostes excipias quam tutissimè poteris: insidijs aduersum eos vtaris, quemadmodum opportunissimum esse iudicaueris. Fortuna si semel vicerit, multas iterum offensiones accipit. Ars imperatoria autem quæ consilio artificioq́; vtitur, persæpe vincit, rarò aut nunquam expugnatur.

118 Pecuniæ cupidus si fueris, non solùm milites tuos perdes, & perniciem ingentem illis afferes, sed hostibus etiam contemptui eris.

119 Circumspectè magnaq́; cum industria bellum suscipias. Nam reliquis in re-

bus

bus si damnũ est, recuperari facilè potest: in bello offensio semel accepta perpetuò permanet: mortui enim corrumpuntur.

120 Castrorum loca vtrúm ne salubria sint & salutaria, an morbida & infesta, diligenter considerandum est: & num res necessariæ, cuius generis sunt, aqua, lignum, fœnum, propè sint: si enim eminus fuerint, perdifficilis erit comparatio, hostib. præsertim imminẽtibus. Collemque aliquem propè adesse oportet, quem conscensuri sunt, priusquàm irruentes hostes eum anticipauerint.

121 Si hostes immineant, & simulaueris te contraria eorum quæ facturus sis facere, non parum tibi ipsi proderis. Nam si videaris interdum vel vallum ducere, vel aliam quampiam munitionem extruere, & tali conatu tuo ad simile factum suscipiendũ hostes impellantur, poteris instructus in dissipatos illos atq; operi intentos securè irruere, vel si id necesse est, ex locis asperis difficilibusque exercitum educere.

122 Quemadmodum bonum luctatorem, ita bonum imperatorem par est alia præ se ferre, & alijs modis conari hostes decipere, & ijs quæ tempori maximè idonea sunt vti, quibus hostes ipsos superare possis.

123 Cùm victoria & offensio in incerto ponantur, optimus & prudentissimus Imperator habendus est, qui in bello & omnibus hostium aggressionibus, ea quę ad offensionē belli & aduersos casus spectant, præparat, & quasi ea imminerent, omnia in promptu habet. Nam si quid aduersum contingat, ad illud iam paratus meditatusq; est.

124 Cautus imperator non modò quæ verisimiliter accidere possunt, sed etiam quæ præter opinionem incidunt, prospicienda & propulsanda iudicat.

125 Si quis ex præfectis tuis in rebus maioribus & grauioribus sæpius hallucinatus fuerit, illi ne minimarum quidem rerum administrationem tutò committes.

126 Tales deliges præfectos, qui subiectis suis præstātiores sint. Solet enim subditorū vulgus semper se ad magistratuū suorum mores accōmodare: vetus enim verbum ita verum fiet, non ceruos leonibus imperare, sed leones ceruis.

127 Robustum efficies exercitum, si omne intermissionis belli tempus ad exercitationem & laborem militarem assuefacias: nam belli tum tempore non studium, sed peritiam & scientiam militarem demonstrabunt.

128 Dum cubitum is, rerum necessariarum

rum cogitatio animũ tuum ſubeat. Neq; prius in ſomnum te tradas, quàm repetieris animo, quid ſit, quod faciendũ fuit, & à te tamen prætermiſſum eſt: aut quid craſtino die agendum ſit, & hoc diligenter facias.

129 Contemptui habeberis, ſi cuiuis promittenti fidem habueris, & ſurdo deterior eſſe putaberis. Sin expendas atque exquiras quæ proponũtur, vilis vnuſquiſque ac plebeius vir tuam prudentiam ac ſolertiã veritus, nihil ad dolum loqui audebit: ſed & animi tui conſtantiam ſubiecti tui admirabuntur.

130 Bellicæ incurſiones quæ iudicio ſuſceptæ ſunt, bonos exitus habere ſolent. Temerarij aũt & præcipites imperatores, quemadmodum experiẽtia ipſa indicat, magnas ſæpe offenſiones habent.

131 Si conſilia tua clam hoſtes tuos eſſe volueris, ne familiaribus quidem multis ea communicabis. Aegrè enim occultatur, quod multorum hominum labijs cuſtodiendum creditur.

132 Vniuſcuiuſq; affectum motumq; animi cognoſcas, & ad quid vnuſquiſque maximè idoneus ſit, vt vnumquẽq; ordinè inſtruere poſſis: horum enim ignoratio confuſas atq; inæquales facit acies.

133 Imperator bonus ac ſimiliter malus,

exemplum ſubiectis ſuis rerum gerendarum eſt. Te igitur cohortamur, vt militibus tuis bonum te exemplum præbeas, tum ad optima te aſſuefaciens, tum quæ facienda ſunt ſuſcipiens, & ijs rebus abſtinens, à quibus milites tui omnes abſtinere debent.

134 Nobilis res atq; in primis vtilis, militaris eſt ſcientia: nam ſine bello facilè hoſtes vincit. Hanc igitur omni ſtudio cognoſcere oportet. Hui⁹ diſciplina multæ aggreſſiones hoſtium ſuſcipiēdæ ſunt. Vbi verò hæc nihil efficere amplius poteſt, tum labore corporis ac dimicatione periclitandum eſt, & cùm hoſtibus decertandum.

135 Non modò ſcientia imperatoria, ſed etiam actionibus illius roboreq; corporis florere imperator debet. Veteri enim conſuetudine, qui imperatores futuri fuerant, non modò genus ducebant ab illis gentibus & familijs quæ ſtrenuitate & rebus in bello geſtis claræ eſſent, ſed omnia alia atque adeo nomen ipſum victoriæ omen habebant.

136 Conſilium perutile tibi narrabo, quod olim legeram. Si quādo cum hoſtibus tibi res fuerit longè numero pluribus, neq; cū illis propter multitudinē cōtendere audeas, ſed ſecurè diſcedere vis,

ob-

obserua si fluuius aliquis vicinus sit, hunc tu aliò transferens in hostes deriuabis, per eum campum vbi conflictatio futura est, atque adeo bellum omne irritum facies.

137 Facilè reprimet hostium consilium imperator, si & ipse tum terra tum mari habeat suo imperio obediētes quosdam: & hostes qui in continente habitant, insulas quasdam aut maritima quædam loca oppugnare se velle dicāt. Si enim percrebescat te velle illos in continente terra oppugnare, perterrefacies eos, & reprimes à nauali classe instituenda.

138 Pium admodum religiosumq́; est, communibus in negocijs priuatarum inimicitiarum recordationē deponere, neque propter priuatam aliquam maleuolentiam, rem communem impedire. Sed in republica procuranda, omnia huiusmodi abijcienda sunt, tum quod ad personas, tum quod ad res pertinet, & in solum id quod vtile est, intuendum, atq; id agendum est: hoc enim sæpe neglectum, permagnas offensiones attulit.

139 Vbi opus fuerit si artificio vtaris, magnum adiumentum ex eo habebis. Si enim solertia aliqua, quæ futura sunt prouideris, maximè autem ex syderum ortu, hæcq́ue prædixeris bonum omen vobis portendere, in rebus vestris agendis ma-

gnopere milites animabuntur, quasi de cœlo bonum aliquod illis portēderetur: quod illi approbantes, animosiores aduersum hostes ferocioresq; erunt.

140 Pedites tuos armatos, & aduersum hostium equitatum in plano campestrique loco instructos, ne permittas, quanquam magnas perturbationes sustineāt, aciem deserentes fugere: quandiu enim permanent, aliqua victoriæ spes est: vbi aufugerint, nullus salutis locus reliquus est, dissipatis iam peditibus, & equitibus insequentibus.

141 Quemadmodum vita iucunda expetenda est, sic bellica pericula lubenter à militibus suscipienda sunt: ea enim tranquillam suauemq; vitam afferunt. Tum enim felices belli exitus sperantur, quando patientes ac tolerantes laborum sunt: hęc enim nobis iucundam vitam pacemque suppeditant.

142 Minore cum labore castra locaque hostium incursionibus terra populaberis, si milites tuos indigenis illorum locorum similes vt sint apparaueris. Mari autem, si nauale prælium faciens, vel naues hostium compares, vel alias naues ijs persimiles facias, & in ijs milites tuos imponas, & ad terram hostium cum illis nauigaueris. Ita fiet, vt ad eas quasi ad so-

ciales naues hostes accedant, & facilius capiantur.

143 Materiam tibi nunc & quasi syluam præceptorum ostendam, quibus accuratè omnia circa te gerantur. Accurata erit nocturna custodia & excubiæ quæ fossatum defendunt, si dixeris, velle te certis & diuersis temporibus faces accendere in excelso quodam & constituto loco, vt custodes ad vnamquanque facem tuam, contrà suas faces sustollant & demonstrent: ita enim fiet, vt tempus quo facem ostensurus es ignorantes, & assiduè expectantes, vigilent, & diligenter excubias suas obseruent. Sin quidam tardent, statim deprehendentur.

144 Desperatorum hominum pugnas deuitare, prudentis Imperatoris est. Desperatio enim, necessitate quadam impellente, audacissimos fortissimosq; milites facit. Desperatio autem est, quando quis salutis locum nullum inueniens, in hostem ruit, & vel vincere cogitat, vel mori. Si castra posueris contra hostes, & ventus illorum castra versus spirat, incendendæ segetes agrorum sunt, vt flamma ad illos perlata, in fugam conijciantur. Quandô in regionem hostium incursionē facturus sis, circa lumen insidias diuersas diuersis in locis collocato: ita enim diuersis locis

in illos irruens, vehementius conturbabis,& dispersos eos facilius capies. Hoc præterea tibi præcipiendum est, vt huiusmodi nec opinatis incursionibus tribulos ferreos noctu circùm conijcies, & pedites tui ligneas soccas vice corij calceorum habeant. Ita fiet, vt si qui ex hostibus pedites aut equites, reijcere tribulos voluerint, facilè prohibeantur,& pedites tui officium suum faciant.

145 Preciosa res est temperantia tum imperatori tum exercitui, stuprum contrà perniciosum & fœdum, captiuarum potissimum. Huius rei testimonium dat Phineis factum; quod in Madianitidem & Zambre suscepit: vnius enim fœminæ captiuæ constupratio, victorem exercitum penè deleuisset; nisi stetisset Phinees, & vtrunq; peccatorem transfodisset,& illorum morte Deum placasset. Itaque cessauit plaga,& habitum est ei ad iustitiam.

146 Alacritatem ad pugnam militibus attuleris, si ipso belli die manè consurgens, insomnium quoddam diuinitus tibi immissum esse dicas; quod te ad inuadendos hostes incitet, & auxilium quoddam ad pugnandum tibi monstret.

147 Pecunia sæpe, sine prælio, victoriam de hostibus reportabis. Vbi alij hostes illis immineant, eos pecunia tua adduces,

duces, vt bellum illis inferant: vel enim se mutuò vastabunt, vel altera pars superiores habebit, prælio cum altera dimicans, & multos tamen ex suis amittet. Vtrisque igitur sic imminutis, tu omnium malorũ vacuus, illis fortior robustiorq; eris.

148 Si qui aciem tuam tempore prælij perrumpere volunt, transitũ illis liberum dato, & vbi transierint, à tergo illos quasi fugitiuos adoriaris, & facilè capies eos.

149 Vt nullus timor exercitũ tuum persuadat per eos qui aciem deserunt, celeriter illos ex acie tua amoueas, atque ad alios vsus transferas.

150 Robur Imperatoris manus in prælio conferentis nihil aut parum adiuuat, nisi vbi exercitum relanguescentem excitare iterum, & societate periculorum animare studet. Sin in prælio cadat, magna incommoda vniuerso exercitui afferuntur. Consilia autem & facta imperatoria, si opportunè adhibeantur, maxima præsidia vniuerso exercitui apportant.

151 Magnum numerũ & multitudinem militum præ te feres, si quando tibi hoc commodum videbitur, iumentis, asinis & bobus vehantur quidam equites: nam hoc in loco perutile est.

152 Vehementer admodum hostium aciem perturbabis, si copias tuas primò

pedetentim cum ordinis quadam conſeruatione progredi facias: vbi verò intra ſagittæ iactū fueris, cum curſu & celeritate ad illos contendas. Ita fiet, vt ab hoſtium telis & ſagittis non lædaris, & ſecurè irruptione facta cum hoſtibus confligas.

153 Prudētis hoc eſt imperatoris, ſi quando, quod ſæpe fit, tonitru magnum fiat, & copiæ ad eius auditum expaueſcant, quaſi malum omen ſit, contrà afferre, hoſtium cauſa hoc fieri, quos Deus attonitos faciens, nos iubet bono animo in illos impetum facere.

154 Hoſtes in contemptum adduces, ſi populares illorū qui in ditione tua ſunt, cùm in gymnaſijs luctantur, inferiores, tuos autem ſtrenuiores effeceris.

155 Vbi occultare à cæteris volueris eos qui ex tuis prælio interfecti ſunt, quamuis hoc poſt belli exitum fiat, ne permittas contubernia ſimul cibum capere, ſed ſparſim & fortuitò, quemadmodum caſus tulerit: itaq; non in timorem aliquem cadent, ſed animo ſtrenuo fortiq; erunt.

156 Hoſtium imperator quaſi caput viperæ eſt in exercitu tuo. Omnem igitur diligentiam adhibebis, vt vel multitudine armatorum in illum ſolum omni impetu ruente, vel telis omniū in eum quaſi in ſcopum iactis, aut alio quopiā conatu

moli-

nolitioneque tua cadat & è medio tollatur. Nam si caput viperæ semel cōminuatur, reliquū corpus inane atq; inutile est.
157 Belli tempore familiares, amicos & cognatos, prope inter se collocabis: amor enim mutuus illos ad pericula subeunda animat, & ad res bene gerendas incitat. Suspicionē sui mutuò in hostium aciem inijcies, si nobilissimorum & pręstantissimorum virorū agros incolumes esse permittas, cæteris finitimis locis populatis.
158 Exercitus tibi idoneus iustusq; sit: qui autem ibi ad bellum idonei nō sunt, illi ad seruitutem, ad multitudinem augendam, vbi vsus fueris, asciscendi sunt, vel iam imminuto exercitu ad integrum numerum explendum recipiendi sunt, vt ad oppugnandos hostes valeant. Vetus enim verbum est, vbi Leonina pellis non sufficit, assuenda vulpina est.
159 Si contingat tibi, vbi iam in hostium regione es, tesseram aliquam scribere, in tabellis sine cera quodcunq; volueris exarato, deinde cera quod scripsisti tegito, & in cera quiduis fortuitum scribito, in quo nulla suspicio esse possit: ita tesseram tuam occultè quò velis mittes.
160 Consilium quis proditionis instituens, vbi cognosci rē intelligit, & se manifestò teneri, cōsilia hostiū suis indicat,

& quemadmodum vitanda ſunt conſulit: hoſtes contrà huius inſidias oſtēdunt, facta autē inſidijs contraria demonſtrant, cui credes magis? Illi certè qui proditor fuit, & indicauit, potius quàm ſermoni hoſtium: hic enim quamuis proditor ſit, popularis tamen eſt, & eiuſdem nationis, & pecunijs corruptus fuit, quas vel omnino nō accepit, vel vbi acceperit iterum reiecit: illi autem natura inimici, & omnino alieni ab illis ſunt.

161 Timiditas militum ex pallore & tarditate cognoſcitur. Tales igitur occultè ab exercitu ſepara, & aliquò amanda, vt illinc reportēt quę obliuione relicta ſunt: hoc vbi feceris, reliquos milites cohortaberis, vt iam ignauis mācipijs illis aliquò ablegatis, illi ſtrenuè ſe gerant, & præmia digna ſtrenuitatis ſuæ reportent.

162 Timiditatis militum tuorum argumenta alia tibi monſtrabo. Vniuerſo exercitu tuo vnum in locum coacto, ſi tuba perſonueris quaſi hoſtes immineant, in media hac turba timidi ſtatim fugient, ſtrenui ſe in acie inſtruent.

163 Si cum imperitis ad pugnam hoſtibus tibi dimicatio eſt, ipſe milites habens exercitatos, ne ſtatim ſubitò illos adoriaris, ſed obſeruandū tempus ad confligendum eſt, atq; defatigandi hoſtes ſunt, qui

parum

parum ad labores assuefacti erant. Sin exercitati hostes fuerint, tui autem milites belli imperiti, subitò & sine deliberatione confligendum cum hostibus est: impetus enim illorum ad pugnandum strenuos eos reddet.
164 Opinio quædam tuæ in aliquo loco permansionis hostibus afferetur, si discessurus decipias hostes quasi maneres. Arbores cędes, vel si ibi arbores non sunt, alia quædam ligna collocabis, illisq; scuta quasi armatis viris aptabis.

*Hic desunt aliquot verba.*

Ita fiet, vt virorum tuorum salutem antiquiorem armis habens, temporibus necessarijs sic euadere possis.
165 Omnem rem quam susceperis, non sine iusta causa incipere oportet: sed belli causam iustam semper esse oportet, neq; iustam solùm, sed etiam prudenter susceptam. Tum enim propitius Deus magno pręsidio in bello erit, & homines alacriores erunt, qui iustam causam defendunt, cùm sciant se iniurię autores non esse, sed iniurios homines vlcisci.
166 Si iustè bellum incœptaueris, exercitum tuum accuratè instrues, & copias tuas quamtutissimè poteris educes, & aliquid de victoria melius sperare poteris: quemadmodum gubernator à portu sol-

ues omnia quæ facto opus sunt cùm præstat, vniuersum nauigationis suæ exitum Deo commendat.
167 Hanc legem tibi ipsi præscribas, vt in finem motus tui bellici intuearis, atqueadeo bellum inchoes. Turpe enim & indecorum est bellum initio mouere, deinde rursum domum exercitum re infecta statim reducere: vnusquisq; enim temeritatem tuam irridebit. Hostes incōsideratam simplicitatem tuam contēnent, non quasi nolles, sed quasi nō posses cum decoro & prudentia res tuas tractare.
168 Quando copias tuas ad bellum educturus es, oportet liberas & solutas à peccato esse, & pia iustaq; mente Deum colere, atq; adeò ad bellum procedere.
169 Cum omni aciei apparatu, ordine, bellica scientia, iter faciat exercitus tuus, quanquam nondum cum hostibus conflicturus, sed solū iter ingressurus, & multorum dierum viam confecturus es, siue in tua, siue in hostili terra fueris: ita enim assuefiet exercitus in acie manere, & locum suum conseruare, & præfectos suos sequi, & ad omnes nec opinatas incursiones hostium paratus esse.
170 Tutius iter faciet exercitus tuus, si paucis quibusdam pręmissis viæ exploren tur, aut per eos quos Romani mensuratores &

es & anticenſores vocant,indagentur.

71 Si exercitum tuum ad laborem aſ-
uefacias, paratos & obedientes eos tibi
ſemper habebis,& aciem ſeruātes,& cor-
pore robuſtos. Ocium enim languida &
infirma facit corpora,timidas effœmina-
tasq; mentes reddit: exercitatio autem &
labores,corpora ſtrenua ac robuſta, men-
tes viriles atq; alacres facit. Ante tempus
igitur omnia ad res agendas idonea præ-
parentur, vt neceſſarijs temporibus om-
nia in promptu ſint.

72 Audaces ſæpe milites perijſſe noui-
mus, quia præfectis ſuis minus obedien-
tes fuerint. Quare ſi qui milites ſine tuo
aut præfectorum ſuorum imperio vel ad
prædandum exeunt, vel aciem ſuam in
qua ſunt tranſgredi audent, flagris coer-
ceantur,& puniantur abs te,quaſi ſuæ ip-
ſorum cladis autores eſſe vellent.

172 Prudens is imperator eſt, qui om-
nia conſilia factaq; imperatoria quæ ho-
ſtes moliuntur,declinat. Hæc cognoſcet
ex ijs quæ ipſe aduerſus hoſtes conatur:
quæ enim ſe oportere aduerſus hoſtes fa-
cere cogitat, hæc prouideat diligenter,ne
ab hoſtibus patiatur. Experientiæ enim
ſingulorum aduerſus alios intentatæ, a-
liorum hominum ingenia ad contraria
illis excogitanda incitat.

174 Si quid clam hostes facere volueris, vel castra mouere, vel aliquid aliud gerere, nulli hoc consilium nisi vni alicui ex præfectis credas: talibus enim temporib. permulti sunt, qui remunerãdi cupiditate consilia tua hostibus prodituri sunt.

175 Nullum mihi insomnium videtur esse firmum: persuadendi tamen milites sunt, vt tuis credant insomnijs, quæ aliquam victoriæ spem aut opinionem afferre possunt: videbuntur enim quasi oracula à Deo immissa militum animos in hostes impellere, & fortitudinem corporis alacritate rerum gerendarũ exacuere.

176 Hostium conatus inscitè persequi, lubricum valde & periculosum est: sæpe enim hostes dedita opera multa conantur, vel vt insidijs, vel vt reuersionibus, in tuos confusos dissipatosq; irruant, & vehementer admodum te lædant. Vbi igitur fugientes hostes insequeris, ne dissoluas aciem donec perfectè cognoueris hostes de salute sua penitus desperare.

177 Militum animos demissos & in timorem prolapsos prudens imperator suo aspectu hilarabit, & vultu læto, verbis etiam suauibus illorum animos leniet, vt militum animi ad imperatoris audaciam excitentur. Vna aciei bellicæ forma non est, sed multę & diuersæ, pro varietate ar-

moium,

norum,militum,hoſtium,locorum,tem
porum. Horum differentias ex ipſis rebus
optimè cognoſces. Non enim quemad-
modum volueris, ſed quemadmodū ne-
ceſſitas poſtulauerit, aciem inſtrues atq;
armabis tum antè tum retro tum ad la-
tus, & quemadmodum vſus tulerit, ſic o-
mnia vel conſtitues vel commutabis.

178 Vbi pedeſtrem aciem inſtruxeris, vel grauium, qui ſcutati ſunt, vel leuium, cuius generis ſagittarij & funditores ſunt, & hoſtes qui ex aduerſo pugnant vel fundis vel arcubus tela conijciunt, vel ſcutis maioribus quadratis & oblongis, qui thyrei ſunt, aut minoribus, ſeipſos & capita tegant & quaſi incruſtent, ita fiet vt nihil mali accipiant quotcunque in illos tela conijciuntur. Exercitu hoſtium lunato, id eſt, ad ſemicirculi ſpeciem inſtructo (nam hęc forma tuta & firma videtur eſſe, & hoſtes hinc atq; illinc cornua extendens in mediam aciei quaſi C literæ cauitatem excipiens circumcludit, & milites vehementius ac robuſtius ad pugnãdum cum illis incitat) ſi aduerſus eum copias tuas appparaueris, in tres partes aciem tuam diuides, & duas partes aduerſum duo cornua hoſtium collocabis: mediam partem non aduerſum cauitatem hoſtiũ inſtrues, ſed ad ſubſidiũ duarum partium pugnan

tium constitues. Itaq; vel illorum lunatus exercitus irritus erit, vel hostis cogetur aciei formam commutare. Sin tu discessum & fugam mediæ partis simulaueris, & hostes ad te insequendum prouocaueris, non modò acies illorum dissoluetur, sed etiam confusè tuam insequetur. Itaq; instructus exercitus tuus reuersione quadam subita & conferta illos adoriens, insequentes te in fugam conijciet.

179 Insidiæ omnes vehementiores habent impetus quàm cæteræ incursiones: eæ tamen quæ à tergo fiunt, longè vehementissimæ. Nam huiusmodi insidias aliquando si comparaueris, longè meliores efficacioresq; videbis esse ijs quæ à latere fiunt.

180 Mandata, præcepta, tesseræ, ac alia huius generis, per præfectos tuos, & non per te tradenda militibus sunt. Per te enim hoc velle facere, imperiti hominis atque admodum insciti esset: nam & tempus multum in præcipiendo consumetur, & magnus tumultus erit militum se mutuò interrogantium, & fortassis in commemorandis illis alius interdum aliquid adijciet, alius detrahet.

181 Boni imperatoris & admiratione digni est, posse potius celeriter aliqua necessitate premente, quid maxime opus facto

ſit, deliberare, quàm ante neceſſitatē contingentem de ea deliberare. Neque enim deliberare antè poteſt quis de omnibus, quæ belli imminens caſus afferre ſolet.

182 Quando in acie ſole contrà lucente cum hoſtibus conflicturus es, priuſquam prælium committatur iube milites ſurſum arma, nudos gladios, ferrea ſcuta & illuſtria, & haſtarum cuſpides tollere: hęc enim ſi admodum fulgeant, in aliquam perturbationem hoſtes conijcient. Quando verò iam manus conſerturus es, magno cum clamore vocis & armorum contra hoſtes contendant, itaq; prælium cum hoſtibus ineant.

183 Multitudine equitum hoſtibus ſi inferior fueris, aſpera loca & anguſta & mōroſa elige, per quæ loca hoſtium equi copias veſtras perſequi nequeant: hoc enim in aduerſos caſus intuendo, conſiderare diligenter oportebit, quod prudentis imperatoris maximè proprium eſt.

184 Magis vtile putes eſſe, vt acies in prælio ſtet & periclitetur, quàm vt fugiat & exagitetur. Nam dum ſtat, victoria potius ſperanda eſt: dum terga vertit, ne ſpes quidem vlla reliqua eſſe poteſt.

185 Deo tibi victoriam largiente, hoſtium ſpolijs, ſiue equi ſiue arma ſint, aut alia eius generis, milites munerādi ſunt, &

conuiuijs epulisque accipiendi: ijque qui strenuè se gesserũt, pro dignitate sua prouehendi, & donis cohonestandi sunt: timidi autem & ignaui & aciem deserentes, vel graui pœna coërcendi, vel summa cum ignominia repellendi. atque adeò fractos animo atque debilitatos eriges & excitabis, fortes autẽ & strenuos ad subeunda pericula animabis.

186 Quando de hostibus trophæum collocas, ex legib. nostris spolia ad hunc modum distribues. Quintam partẽ pro communi ærario separabis: reliquæ quatuor partes inter præfectos & subiectos, quoniam æquales labores in bello ceperunt, ex æquo diuidantur. Quòd si quidam ex præfectis aut præstitibus, aut alius quis ex militibus strenuè præter cæteros se gesserit in prælio, tum ex hac parte quæ communi ærario tribuitur, securè illi aliquod munus defer quod iustum tibi æquumq; videbitur. Similem etiam qui ad impedimenta custodienda separati sunt portionem habeant, ac illi qui in reliqua militia fuerunt.

187 Exercitus ex equitatu & peditatu mistus corpori similis est, qui manuum vice habet leues, id est, sagittarios, iaculatores, & funditores. Pedum instar, equites. Capitis autem te, qui præcipuus ex omnibus

ibus es. Reliquorum membrorũ inſtar, graues, id eſt, ſcutatos, qui integram armaturam geſtant. Itaq; tu quaſi caput, magnam curam habere debes tum tui ipſius, tum totius etiam corporis: illiq; ſimiliter tum tui, tum ſui ipſorum quoq; curam gerant.

88 Vtile autem hoc inprimis in bello eſt, ſi exercitum magnum certis de cauſis minorem videri cupis, vt contubernia inter ſe iungas, & in vnam Camardam, quam vocant, duo contubernia confeeras, & arma propè inter ſe poni iubeas. Quando paruum habes exercitũ, vnum contubernium in duo diuides, aut etiam plura, ſi ita vſus ferat, atque adeo maior numerus eſſe videberis, vt ne propter pauciatem contemptui hoſtibus ſis. Celeriter aũt ab vno loco in alium caſtra moueis, vt hoſtiũ vim ita cognoſcens, cum illis prælio dimices.

189 Fictis & ſimulatis irruptionibus milites aſſuefacti, facilius & ſtrenuius veras ſuſtinebunt: vt, præſidij parte altera contra alterã dedita à nobis opera conſtituta, aut proditione, inſidijs, clamoribus, ſtrepitu, transfugis, incurſionibus, & alijs huiuſmodi ſimulatis & fictis exercitati, à veris certaminibus, ſi quando incidant, non abhorrebunt.

190 Naualis classis hoc memorabile consilium putari debet. Quando ad loca arenosa & minimè portuosa classem tuam naualis prælij tempore applicaturus es, saccos multos arena complebis, & funibus eos quot satis esse videbuntur ex vnaquaq; triremi propendere faciēs, quasi ferreæ anchoræ essent, & vbi hunc quasi portum tibi confeceris, ex eo loco noctu progressus, constitutam incursionem facere poteris.

191 Loca sicca atq; arida trāsiturus, aquā quantam potes tecum perfer: noctuq; à vespera ad mane iter facito: diem autem totum somno requietiq; dato: ita fiet, vt minus iumenta sitiant, & satis idonea tibi aquæ copia sit.

192 Auspicijs exercitus olim cæterisq; huiusmodi diuinationibus animum & fidem adhibebat: sternutante autē quodam, milites statim dimisso animo erāt, quasi malo omine quodā obiecto. quod imperator animaduertens, Minimè mirum, inquit, est, si ex tot circumstāntibus vnus sternutet. Hoc dictum cum risu omnes exceperunt. Risus autem victoriæ signum est. Itaq; prudens imperator hoc omen conuertens, militum animos magnopere excitauit.

93 Vide num quo die anni aut mensis vi-

victoriam aliquam reportasti, & eodem die iterum, si ita vsus ferat, bellum suscipias, vt alacriores milites sint, & meliore cum spe prælium ineant, & putent Deo propitio hostes eodem die se in fugam iterum versuros. Et de loco in quo quis vicit, similiter statuendum est.

194 Nihil te quod nunc dico perturbet. Verus & strenuus Imperator cognoscitur, quando non quod in rem suam est quærit, sed quod ex vsu publico militum est illud spectat: nam cum salute publica suam quoq; salutem procurat. Vbi enim pastor gregi suo diligenter prospicit, is compendium ex eo habet: sin gregem negligit, non modò verus pastor non habebitur, sed grege neglecto damnum sibi ipse accersit.

195 Si hostibus classis fuerit, tu cum copijs tuis instructus lunatam classem appares, & paululũ retrocedere in medio videaris: id enim nõ omnino ad fugiendũ, sed post fugã ad pugnandũ potius valet. & paratas habebis naues, vt rursum ꝑratim, si id necessitas postulet, illos inuadas. Neq; enim audebũt in cauitatem loci ingredi, nimirũ id timentes ne circuncludantur ab hostibus.

196 Victoria tibi à Deo concessa, ne statim turbulentè & cõfusè illos insequaris,

sed inter insequendum ne cõuersi te rursus adoriantur prouidebis. Nam effusa & intẽperans insectatio, opportunos ad offensionem facit eos qui insequuntur.
197 Circumspectè loca angusta trãsibis. Quòd si ab hostibus discesseris, robustos ac strenuos milites à tergo in extremo agmine, quàm οὐραγίαν vocant, collocabis, vt incursantes hostes possint repellere: & nemo in anteriorem partem fugiat, vbi tu instructus eris. Itaq; vtrinq; exercitus firmus ac munitus erit.
198 Vt robur exercitui inseras præcipe, vt si hostes cum clamore contra tuos veniant, tui statim cum silentio & taciturnitate præcedant: sin illi silentes ac taciti ambulauerint, tum clamore ac stridore armorum tui illos inuadant.
199 Vbi armatura eges, ijs diuitibus, nõ qui in prælio sunt, sed qui à prælio absunt, præcipe, vt si nolint ad arma venire, virum pro se equumq; mittant: ita quidem fiet vt pauperes strenui armentur, diuites ignaui ex æquo ac cæteri qui in bello sunt, bello inseruiant.
200 Mixtum ex peditibus & equitibus si exercitum habeas, leues equis persæpe vehi iubebis, vt opportunis in locis agiles atq; expediti de equis desilientes, excelsa altaq; loca anticipent, & fundis,

sagit-

ſagittis,reliquiſq; armis vtãtur,vt ad omnem hoſtium occurſum parati ſint.
201 Si quis qui ſtrenuè ſe in exercitu geſſit,aliquid abs te contendat, vel de ſalute ſua vel amici vel cognati, ne difficilis in pernegãdo ſis,ſed pro rebus illius geſtis, hoc illi de ſalute amici aut ſua condones: nam & pium factum hoc erit, & alios talis remunerationis ſpe ad res bene gerendas excitabis.
202 Boni præfecti indicium & magna virtutis ſignificatio eſt, ſi ſubiecti milites voluntario animo illi obtemperent, & ſi labores ſponte ſua ſubierint, & in illis durauerint. Nam qui neceſſitate & vi ſubijciuntur, qui indignè ſe ac contraquàm præfectum par eſt gerunt, illi inſidiatores,non amici, perfugæ, non periclitantes,exiſtimari debent.
203 Imperatori bono nulla ſtudia ita laudanda ac prouehenda ſunt, vt agricultura & militia: altera,quæ rempublicam & milites alit,altera quæ rempublicam defendit,& agricolas laborantes conſeruat. Itaq; tanto magis hæ cæteris ſunt artibus proponendæ, quanto illæ interdum ſuperuacaneæ eſſe cernuntur: hæ ſemper ſalutares ſunt & neceſſariæ.
204 Vt ſuſcipiendus & honoratus ab omnibus habeare, communem vtilitatem

rei priuatæ, quemadmodum suprà præcepimus, antepone. Bonus enim imperator est, non qui bene suam ipsius vitā degit, sed qui subiectis suis autor salutis est. Imperator enim non ideo à nobis deligitur vt sibi soli prouideat, sed vt cæteri qui sub imperio eius sunt, melius vitam traducant. Nam ideo ad militiam eunt omnes, vt sibi melius sit: & imperatoribus ideo obediunt, vt ad salutem viā illis muniāt. Exercitus vniuersi labes est, immodestiæ & luxui deditus imperator. Modestia enim & ordinis cum temperantia conseruatio, militibus in primis vtilis est. Nihil enim ad vitæ cultū in bello aliud afferendum est, quàm quod necessarium est; luxum autē neq; bellum neq; pax sobria admittit. Quid enim causæ est cur non turpissimum sit virum ex equo cauponari? Omne enim robur illius corrumpitur, & damnum non mediocre infertur. Itaq; præfectos omnino industrios viros esse oportet, iusteq́; imperantes, & in re militari potissimū. Subitum enim tempus & subitæ res in bello gestæ esse solent: idq́; præcipuè in nauali prælio cernitur, quia nauibus tota dimicatio transigenda est.

205 Si bellum tibi cum exercitu futurum est è multis regionibus collecto, ne præ-

præstoleris donec in vnum locum congregentur, sed dispersi adhuc abs te vel sua in regione, vel alijs in locis antequã simul cogantur adoriendi sunt. Nuncq; adeò cùm ex Aegypto, Syria, Cilicia, barbari aduersus Romanas copias se instruant, nauali classe ac nauarchis Cyprus occupanda, & priusquàm barbarica classis in vnum coëat, satis iusta & commoda classe nostra ea dispersa adhuc inuadenda est: vel priusquam è regione sua exeant, classis illorum si fieri potest incendenda est.

206 Exercitus tui vniuersi corporis quasi medicum te arbitror esse: itaque quasi causæ morborum ab exercitu per te abigēdæ sunt, ocium, luxus, sumptus, intemperantia, diuinationes, auspicia, auguria, insomnia, quæ omnia abs te veræ pietatis cultore contenнēda sunt, nisi ad victoriæ simulationem interdum illis abutaris. Neque enim par est vt ad victoriæ salutis spem eiusmodi signa imperatores quærant, sed cautione prouisioneque sua ad omnes res suscipiendas quãtum possunt vtantur. Sed & lucri cupiditas eijcienda quantum potest ex exercitu est: multa enim per hanc cupiditatem detrimenta in militiam importari, tum ex antiquis tum ex recentioribus scriptoribus

cognouimus. Diuinationibus aũt & insomnijs quidam freti, decepti sunt, & salutem suam misere prodiderunt.

207 Liberos tuos & nobilium virorum militumque filios tecum in expeditione habeas: hoc enim illos longe prudentiores reddet, si cognitionem simul & experientiam rei militaris atque imperatoriæ habeãt. Ludus enim necessarius, disciplinæ necessariæ bellum est. Itaque florentes iam ætate amicorum familiariumq; tuorum liberos quasi generosos catulos tecum in expeditione habeas; vt discãt tolerare laborem, audaciores esse, cadauera mortuorum tangere, plagas videre, & clamores bellicos perferre, & in initio prælij bellico tumultui interesse, vt ad omnia negocia bellica ab ineunte ætate assuefacti strenui esse discant. Fortem ac prudentem imperatorem te indicabunt, opportuna audacia, & bonum consilium, & amicorum alacris laborum susceptio, & in periculis obeundis confidentia, & in rebus gerendis firmitas animi atq; constantia. Hæc enim strenui ducis ac nobilis sunt, vt & ipse opportuno tempore quod optimum factu sit facias, & consilij tui beneuolentiæque adiutores, & omnibus in rebus voluntarios defensores habeas.

208 Quo-

208 Quoniam venator bonus lupos & vulpes artificio venatur, sic & tu hostium speculatores solertia capies. Si enim extra vallum tuũ custodias locaueris, deinde iusseris vt vnumquenq; ignotũ teneant, & interrogent, neq; dimittant priusquã præfecti nomen & contubernij, vnde sit, & tesseram eius contubernij cõmemorauerit, & eos qui hæc facere nequiuerint, exploraueris qui nam sint, facilè speculatores illorum inuenies.
209 Imperator qui eloquentiam cũ prudentia coniunxerit, quid in exercitu præstare non potest? Maiora enim sæpe diserta cohortatione efficiet, q̃ viribus suis, & plus verbis quàm robore milites ad strenuitatem incitabit, idq; maximè si persuadeat cum hostibus sibi rem esse qui ex carne & sanguine, quemadmodum cæteri homines, constituti sint, quiq; omnia humana facilè pati possunt.
210 Vtile tibi cumprimis erit imperator, vbi manus conserunt cum hostibus milites tui, prætergrediendo milites ijs verbis appellare: Semel tantùm cõflige cum hostibus & vincemus. atq; itẽ similiter semel: Iterum cũ hoste confligc & vincemus. Tertiò aũt obequitãdo hoc faciat. Itaq; magnum momentum ad victoriam afferes, si alacriter & assiduè hos

tres impetus milites faciant, & hostes animosè inuadant. Hoc abs te faciendum est quando primum belli ingressum Deo propitio bene videś procedere.

211 Vt verò propter multarum rerum memoriam ab hostibus in admiratione habearis, & propterea ab illis timearis, si ad te legati missi fuerint, interrogabis eos nunquid antè legatione vsi fuerint, & quibus de causis, quibus cum hominibus, quo loco, quo tempore. Legatione item proposita prouidendum animo est, num quæ similis fuerit vel apud te, vel aliam quamuis nationem, vt interrogationibus & sermone tuo videaris multarum rerum memor & peritus esse.

212 Ad quæ loca vel ciuitates classem emissurus es, nemini indicare oportet, sed occultanda loca, occultandæ animo ciuitates sunt, vt nemo de classis itinere quicquam præsentiat. Mandatum autem quoddam literis conscribes, quod vbi scriptum fuerit obsignabis, & Nauarcho trades, præcipiesq; illi, vt vbi mare ingressus fuerit, sigillum aperiat, & cognoscat quò iturus sit. Ita clam hostes quo volueris peruenies.

213 Leges militares atque imperatoriæ si custodiantur, victores duces honoratos & memorabiles facit, & regibus lætitiam ob-

oblectationemque afferunt, & ad deditionem pacemque hostes cogunt, & ab omnibus perturbationibus subiectos nostros liberant, imò verò multorum bonorum atque salutarium causæ sunt, & Dei erga illos beneuolentiam augent, & ad laudandum Deum omnes homines pios impellunt. Has igitur leges quasi maximas, omnium bonorum secundum Deum conseruatrices, & communis salutis prospicientissimas, omni diligentia atq; obseruantia coles, & ante omnia diuinas leges, veraq; illius præcepta quib. pietas continetur, summo studio & perpetuò sequaris: ita enim optimum imperium fiet, & Deo vniuersitatis Regi Dominoq; nostro IESV CHRISTO, & nobis qui per illum regnamus, complacitus eris.

## *Argumentum libri in Epilogo.*

VT igitur omnia quàm breuissimè à nobis vniuerso hoc libro conclusa, summatim repetamus, hoc in primis Dignitati tuæ pręcipim⁹, vt qua de causa imperator es, quātū potes efficias, vt oēs qui sub imperio tuo sunt, vitam quā maximè tranquillam & securam degant. Ac primū, quicquid dicturus facturusue es, à Deo principium habeant, nihilque sine illius

commemoratione ac deprecatione agatur. Cur enim nō principium omniū rerū agendarū à Deo capiendū sit, cùm Deus pater noster factor & inspector dictorum factorumq; omnium, iudex cogitationū omnium, notionūq; cordis, nullaq; creatura abdita corā eo sit, sed omnia nudata & explicata ante oculos eius sint, quēadmodum diuinissimus Paulus loquitur? Itaq; præter sententiam eius nihil à nobis agendum est. Cognatio enim quædam nobis cum illo est, talisq; affectus qualis erga patrem esse debet: nam illius munere in lucem aspectumq; venimus, pro illo & viuere & mori debemus, benignitate illius alimur, in ipso viuimus, mouemur & sumus, tantū illi obedimus, quantum subiecti præfecto, serui Domino, magistratus Regi: omnes illius sumus, qui omnium habet imperium: nobis per illum omnia subiecta sunt, tum animata, tum inanima, nos verò illum colimus: vniuersa bestiarum natura à nobis gubernatur, nos verò ab illo pascimur principe pastorum, qui nostra causa nostram naturam induit. Nemo aūt qui mente deprauata perditaque non est, Deum esse negare potest.

2 Omnia Dei plena sunt, qui ea quæ non sunt eduxit vt essent, qui omnia cō-

plet,

plet, omnia agit, omnia prouidet & administrat. Opera manuum eius quæ ab illo facta sunt, cœlum, & quæ cœlo continentur, terra, & quæ terra continentur, mare & quæ mari continentur, veritatē factoris indicant, & certa testimonia dant diuinæ erga nos beneuolentiæ & prouidentiæ. Ipse reges designat: dicit enim; per me reges regnant. Imperatores ab eo eliguntur, qui omnis potestatis atq; imperij autor est. Itaq; nemo imperiū aut magistratū in se recipiat, priusquam prece & supplicatione seipsum quasi Deo consecrauerit, & illius prouidentiæ voluntatē suam subiecerit. Quæ igitur ad Dei cultum pertinent, in primis obseruanda & constituenda sunt, vt qui spiritus est, in spiritu & veritate ab omnibus colatur: & quæ fidei, vitæq; præcepta reliquit, ea precibus impetremus vt faciamus, quæ diuinis literis imperat vt agamus, & fide in illum, amore ac dilectione omnium in Christo IESV renatorum, ad Christum perfectionem Legis aspiremus, vt per illum in quo omnia Deo complacita sunt, nos quoque Deo placeamus, & iustitiam erga omnes, etiam inimicos, æquitatēq; teneamus.

3 Religione in Deum non modò cognita, verumetiam culta, & honoribus

regi ſecundum Deũ delatis, qui gladium à Deo ſibi commendatum nõ temerè geſtat. Deinde ſacerdotibus Dei, qui quantùm in ſe eſt paſcere debent gregẽ Chriſti, aliqua in veneratione habitis, atqueadeo diuinis fidei legibus ſumma obſeruantia omniq; animi inductione ab omnibus obſeruatis, Regias leges minimè transgrediamini, vt iuſtitia & iudicium in medio terræ noſtræ fiat.

4 Militarem laborem & arma bellica ſic accurabis, non vt iniuriam alicui inferas, aut iniuſtum bellum moueas, aut prædationes & iniquas aduerſus integros homines incurſiones facias, ſed vt religiosè viuens, & cum hoſtibus etiam, quantùm in te eſt, pacem habens, ita piè & Deo complacitè vitã tranſigas, vt ad iniurioſorum hominum vim depellendam arma abs te ſumantur. Si enim vitam religioſam ac piam degas, & iuſta de cauſa bellum moueas, Deum iuſtum in omni bellandi ratione adiutorem habebis. Si enim quis certò ſtatuat non ſe iniuriam alicui inferre, ſed iniuria affectum eſſe, & ad bellum neceſſariò ſuſcipiendum, ad depellendam iniuriam prouocatum eſſe, is omnino credere debet iuſto bello bonum finem à Deo imponi, iniuſto autem contrarium. Quemadmodum

dum enim qui iniurius homo eſt, non poteſt non iniquitatis ſuæ pœnam à Deo iuſto reportare: ſic is qui iniuriam propulſat, fieri haud poteſt quin à Deo victoriam aſſequatur: Dominus enim iuſtus iudex eſt, & cum iuſtitia pertractat omnia. Huius rei gratia arma abs te exercenda ſunt, reliquaque militaris induſtria huc conferenda eſt. Belli ipſius tempore hoſtium tuorum natura & conſtitutio diligenter abs te cognoſcatur, vtrum illorum copiæ primo congreſſu impetuoſiores ardentioresque ſint, an patientes plagarum, & telorũ initio, poſtea autem ad prælium dimicationemque vehementiores exiſtant.

5 Bellum etiam ipſum cognoſcendum eſt, nunquid breue, propter celeritatem dimicandi, & propter commeatus, pecuniæque inopiam, an potius impetu animorum & incitatione celere exiſtat & vehemens: talibus in bellis pro hoſtium natura & conatu, & pro vniuerſis illorum copijs, exercitum tuum apparabis, vel ad fortitudinem celeritatemq; illorum, vel contrà ad audaciam timoremque, iras & ſupplicia, ſtudia gloriæ & ignauiam teipſum cõparabis, vt huiuſmodi affectiones animi ſiue in tuo exercitu, ſiue in hoſtium copijs ſint, vel augere vel minuere

possis. Præcepta autem tua potissimum, simulatio prædictionum, cultus diuinus, disertæ cohortationes tuæ opportunè per tempus adhibeantur, vt mentes omnium oratione permotæ, voluntariæ in hoc statu affectuque consistant, neque necessitate inuiti ad dimicandum pertrahantur. Qui enim milites minus ad pugnandum parati sunt, ijdem confusionem ordinis & perturbationem in prælio afferunt. Antequam igitur pericula subeunt milites, animi illorum ita pertractandi sunt, vt ad omnem impetum sustinendum alacres sint: hostium autem mentes perturbandæ sunt, & in formidinem, mollitiem, desperationemque conijciendæ, atque adeo tum adoriendi hostes, & sine vlla dilatione inuadendi. Nulla enim alia ratione hostes superabis, nisi in aliquas angustias illos prius deducas. Neque in huiusmodi pericula hostes impellantur, in quibus, vt in desperatis rebus solent, meliores quàm illorum natura fert & impetuosiores sint. Sin induciæ fœderaque sint, nullo modo abs te violentur. Ex rerum euentu si prospera tibi omnia & secunda sint, & hostium victoriæ potitus fueris, ne nimis animo efferaris: neque in rebus gerẽdis ita tardus sis, vt post

initia negociorum confecta, circumſpicias & deliberes quid deinceps agendum ſit: nec rurſus ſi aduerſæ res ingraueſcant, ſtupidus & attonitus vel tuis vel hoſtibus videaris. Sed neque ijs temporibus cede hoſtibus vbi poteris illis reſiſtere, & incurſiones illorum propellere, niſi pacem hoſtes vtilem ex te petant: magnæ enim rerum offenſiones huiuſmodi ex cauſis oriuntur.

6 Exercitus tuus ad bellum educendus eſt, multitudinem iuſtam habens, cæteris armis bellicis minimè defectus, nullaq́; alia re ad bellum neceſſaria deſtitutus: quibus in rebus mali imperatores facillimè reprehēſiones habent. Induſtrius admodum debes eſſe, præcipuè autem in ijs adminiſtrandis quę ad procurationem rei bellicæ pertinent. Sumptús quamminimos & frugales admittes, & rem communem diligēter aſſeruabis: deinde quæ facto opus ſunt, omnia accures. Itaque hiſtorias antiquorum & recentiorum diligenter cognoſcas, & omnium factorum conſiliorumq́; imperatoriorum quæ digna cognitione ſunt, rationem teneas. Quòd ſi quis vel artifex vel plebeius aliquid præ ſe ferat dicturum quod ad rem militarem atque imperatoriam pertinet, illum admitte lubenter, & eorum quę lo-

quitur iudex ſis. Conſilium tibi cum ſenibus capiendum eſt,& ijs qui rei bellicæ periti ſunt, & qui aliqua dignitate ac nobilitate prælucent, & qui cum beneuolentia conſilium fidele in rebus gerendis dare poſſunt. In periculis bellicis nunquam dimices aut manus cōſeras,ſed cautionem tuijpſius diligentem habeas, & vniuerſo exercitui præſcribas quid gerendum in vniuerſa dimicatione ſit. Conſiliorum & factorum imperatoriorum excogitator ſis,& in aggreſſionibus tuis ſolers exiſtas, tum quādo hoſtes inuaſurus, tum quando ab illis inuadendus es: ad repellendas hoſtium incurſiones habilis, ad machinationes hoſtibus inferendas grauis, & ad id quod futurum eſt animo anticipandum ſolers: ad teſſeras quaſdam contra hoſtes excogitandas diligens & aſſiduus,prudentia, ingenio, induſtria,cæteris omnibus præfectis antecedens, corpore robuſtus, & ad omnem armaturam vtendam habilis atque expeditus: forma decora ac liberali, omni armorum conſtructione decorus atq; illuſtris, ætate florens, corpore atq; animo ſtrenuus, abſtinens pecuniæ,continens voluptatum omnium, laborioſus ad res tolerandas, fortis ad pericula ſuſtinenda, intrepidus ad diſcrimina ſubeūda,ad iuſtas res perſequendas

das alacris, magnanimus in rebus cum militibus obeundis, gerendis: magna in existimatione existens, non propter generis nobilitatem, ciuitatem aut rempublicam ab alijs bene administratam, sed sua virtute, & in omni vsu bellico diligenti sedulitate gloriam sibi comparans beneuolentia ac animi promptitudine: cæteros omnes in singulis negocijs suscipiendis superans, & perinde ac de priuatis rebus negocium esset, publicos labores tolerans. Disertus præterea & eloquens sis, & verissimis rationibus in re vera vtens, nisi vbi interdum ad excitandos militum animos, & ad mentes illorum præsenti rerum opportunitati aptandas, mentiri interdum & fictam orationem adhibere oporteat, quo melius in contrariam sententiam traducantur.

7 Erga illos qui in bellico ceciderunt, & erga bonos viros potissimum, magnificus, liberalis & munificus sis, & honores illis tum beando, tum memorabili sepultura afficiendo habebis: ægrotos quam diligentissimè sanari curabis, erga pauperes de tuo liberalis, gloriæ non nimis expetens, & liberalis tum in priuatis tum in communib. hominum consuetudinibus, neq; contentiosus, neq; curiosus, neq; loquax. Vestitu, habitu, incessu moderatus

ſis: inuidiam ex omnibus rebus ſummè deuita: neque militibus ſtrenuè rem aliquam gerentibus ea te mordeat, ſed laudes eos potius & imiteris & adiuues ad honeſta omnia ſuſcipienda. Vnumquenque Imperatorem par eſt aduerſus vllam nationem bellum ſuſcipientem, cogitare & cognoſcere, quænam forma aciei illorum ſit, & quibus potiſſimum artificijs machinationibusque in bello vtuntur. Sin nauali claſſi præficiatur, prouideat vt ne claſſis aliquibus tali tempeſtatibus iactetur, & aſtrorum aërisque motus obſeruet. Vltima agmina claſſis aut aciei ordinatè ad ſe colligat, ne locorum importunitate, aut tempeſtate maritima, aut hoſtibus oppreſſa pereant. Cognoſcendum tibi præterea eſt, quibus modis prælia committuntur, vel in acie ad frontem inſtructa, vel ex dolo quadam circuitione, vel loca occupanda munitiora, vel regionem incurſione diripiendo, vel ligna cædendo, vel fruges populando, vel ædes incendendo, vel agros vaſtando, vel captiuos abducendo, vel aquas illorum detrahendo, vel inſidijs adoriendo, bella cum hoſtibus geruntur. Committũtur etiam gladij in bello, quando ſubitò inuadit exercitus exercitum, & fluuium tranſeuntem hoſtem adoritur

& è ſpacioſis locis in anguſtum compellit, & ex anguſtis locis in ſpacioſiora hoſtem nōdum inſtructum educit, & quando commutatio ſubita eſt eius qui hoſtes viceıat, & quando in locis includuntur ad exeundum difficilibus, & quando rebus neceſſarijs deſtituuntur, & quando in aliquam offenſionem valetudinis hoſtium copiæ cadunt, quando aduentante hyeme grauiter perturbantur, aut ipſa in hyeme defecti neceſſarijs ſunt, quando diurnis laboribus laſſati, inedia cibi potioniſque vexantur: vel ſi iter magnum contingat, tum homines tum iumenta laſſentur, vel quando nimis vigiles certis de cauſis ſunt, vel quando prælium nauale illis accidit, vel quando hoſtes naufragium fecerint, vel quando hyeme excruciantur. Hæc omnia horumque contraria imperator cognoſcat. Diuiſiones prҽterea exercitus, acies, deductiones acierum, vt facilè obtemperent, genera quoque mandatorum cognoſcant. Præter has prædictas omnes belli irruptiones, prudenter vt hoſtes adoriaris præcipimus, quantum ſubitæ rerum aggreſſiones prudētiam admittere poſſunt. Hoſtium autem incurſiones quātum potes deuites, & omnia huiuſmodi quæ incidere poſſunt propulſes. Quæ enim in

hostes inferre cogitas, eadem sæpe numero ab illis patieris, & alijs quoq; quibusdam molitionibus ab hostibus inuaderis, nisi cautè & prudenter circumspicias, & quæ facto opus sunt illis opponas.

8 Ijs anni temporibus excursio facienda, quando fruges sunt. In acie instruenda solem à tergo & ventum habeas, & in hostium oculis vtrunq; collocabis: vocalis in mādandis rebus eris, animosus, concinnam habens vocem.. Naturam belli artes ipsæ adiuuant, cuius generis sunt disciplinæ armandi, rationum subducendarum, acierum instruendarum, architecturæ, astrorum, medicinæ. Disciplina armandi hoc in se continet, vt corpora armis moderatis, idoneis, firmis, exquisitè confectis tegantur. Eligenda huiusmodi corpora sunt, quæ ad arma capienda idonea sunt. Quātus qualisq; armorum vsus esse debeat, demonstrādum militibus est, horumq; exercitationes & contentiones ad omnem necessitatem & apparationē prælij ostendendæ sunt. Cura etiam sit honorum, dignitatum, & abundantiæ pecuniarum quibus arma reliquæq; expensæ necessariæ adhibendæ suppeditentur. Et de armatura hactenus.

9 Disciplinæ rationis subducendæ munus erit, exercitum in contubernia, acies,

turmas, drungos, cohortes, quincurias, decurias, centurias, reliquasque partes atque acies diuidere: atque ex ijs omnibus eos separare, qui & quot castra custodiãt, qui & quot minores natu & prouectiores, quique claudi sunt, aut propter ægritudinem languentes, quique ad ciuilem magistratum & ad rem publicam gerendam delecti sunt: corpora præterea florentia à languidis secernere, & horum quoque rationem habere, tum magnitudinis tum paruitatis corporum: Præfectos prouecta ætate homines constituere, stationem tum quod ad longitudinem, tum quod ad altitudinem spectat collocare: quali cum numero & quibus cum partibus vnaquæq; pars ad necessarios motus belli constituatur. Hæc omnia huius disciplinę sunt. Disciplina acierum instruendarum hæc in se habet: Formas acierum demõstrare, quibus aut inuadas alios, aut ab alijs inuadare: & quæ ad hostium impetum excipiendum valent, & quæ ad impressionem in hostes faciẽdam maximum momentum habent, quemadmodum singulã fiant: qualem armaturam aduersus hostem fabricare, quemadmodum acies moueri debeant, quo loco temporeque vtendum. Atque hæc de aciebus instruendis. Architecturæ est ca-

ſtrorum formas deſcribere, quemadmodum foſſa aut vallo obſepienda ſunt: interiora loca aptè diſtributeque ſeiungere, exitus aperire, maximi exercitus interualla, minimi autem anguſtias tenere: vbi vtrorumuis aliquis vſus fuerit, loca eligere quæ hoſtium inſidijs minimè appetantur, quæque in reuerſionibus diſiunctionibusq; idonea eſſe poſſunt. Huius artis præterea ſunt, muros ciuitatum aut munitionum ab hoſtium machinationibus integros ſeruare, aut aquarum inundationes ab illis repellere, arma ad muros defendendos parare, vt manganica, toxoboliſtras, & reliqua huius generis, quæcunq; vel ad muros defendendos vel oppugnandos ſpectare ſolent. atque hæc de architectura. Aſtronomiæ eſt tempeſtiuitates anni prædicere, in quibus frigorum & calorum commutationes fiũt, aut imbrium & aquarum pluuiarum proluuies, vel ventorum ingentium flatus, è quibus magni exercitus in ſumma ſæpe diſcrimina venerunt: diei noctiſque partes ita commodè diuidere, vt requietis ac incurſionis tempora facillimè cognoſcantur, quibus non obſeruatis, vniuerſæ copiarum ſummę ſæpe in rebus aggrediendis irritæ atq; inanes fuerunt: terræ motus reliquorumq; ſignorum & portento-
rum

rum euentus præmonſtrare, illaq; ad noſtros milites animandos transferre. Sed de Aſtrologia ſatis. Medicina, vlcera quæ ex vulneribus orta ſunt, vel plagas quæ lapidibus aut telis aut alijs huiuſmodi rebus infliguntur, ſanat, & pharmaca ijs parata habet, ægritudines quæ ex calore aut frigore, labore, aquarum mutatione, locorum ſitu, aëris temperie, corporis curandi negligentia, alimentorum improbitate, vt nouarum frugum & fructuum cæterorumq; huius generis inſalubritate oriuntur, arte ſua pellit. Ad artem rationis ſubducendæ præterea pertinent, ſumptus militum, ſumma ſpoliorum, pecuniarum accumulatio, & quemadmodum iterum in armorum machinationumque apparatum & in alios militiæ vſus conſumantur: horum omnium dijudicatio ratioq; ad artem hanc ſpectat. Ad apparatum igitur ſalutemque exercitus conſtituendam hæ artes atq; ijs artibus inſtructi homines pernéceſſarij ſunt. In armorum ratione elaborant, qui armorum conficiendorum periti ſunt. In ratione ſubducenda, literarum & ſummarum faciendarum periti homines. In acierum inſtruendarum ratione tu imperator atque alij qui ſub te præfecti conſtituti ſunt. In architectonica, qui architecti & mecha-

nici ſunt, & longo tempore in vſu harum rerum verſati ſunt. In aſtrorum ratione, qui cœleſtia corpora ſcrutati ſunt, quiq́; in aſtrorum ortu atq; obitu, conuerſionibus planetarum, operam ſuam collocant, qui Ptolemæum diligēter cognoſcunt, & Chaldaicas quaſdam obſeruationes, Arati φαινόμενα, Ioannis Lydi diurnam menſtruamq́ue obſeruationem tenent. Genethlialogias autem quæ ijs in libris ſparſæ ſunt, & ab Eccleſia Dei reijciūtur, nos noſtro quoq; regno expellimus. Leges igitur imperatoriæ ac militares à noſtro regno tibi militibusq́; qui ſub imperio tuo ſunt, hæ præſcriptæ ſint, quæ abs te aſſiduè cuſtodiātur, & ad eas ſeruandas omni ſtudio ac labore enitaris: magna enim & præclara hinc adiumenta reportabis. Quando enim conſilia factaq́; imperatoria ad aciem tuam firmandam excogitaueris, ſi illis ijſdem hoſtes vtantur, facilè horum peritus contraria vſurpare potes.

Hæc autem pro ratione ingenij noſtri partim vſu bellico, partim ex ſcriptoribus antiquis collecta, ad communem vtilitatem hunc in librum contulimus, neque ornamenta dicendi, neque curioſam aliquam verborum inanitatem conquirentes, ſed verbis tantùm communibus planisq́; vſi, militarem dicendi formam potiſſimum

tiſſimum ſecuti ſumus. Quæcunque autem alia vel ad tempus belli gerendi, vel alterius alicuius apparatus aduerſum vllas nationes & Saracenos potiſſimū, quorū gratia hic liber à me, vt antè dixi, conſcriptus eſt, ſuſcepti caput pertinent, ea quanquam hoc libro contenta non ſunt, in ijs tamen ſi quis ſe exerceat, vſu aliquo belli & naturæ rerum perſcrutatione facilè ea quæ deſiderantur colligere comprehendereque poterit. Neq; enim fieri poteſt, vt ego aut quiſquam alius, quantocunq; ingenio eruditioneque ſit, omnia complectatur, quæcunq; induſtria ac ſolertia humana excogitantur: aut viam doceat qua hæc caueantur, quæ infinita atq; immenſa genere rebusque circumſtantibus ſunt. Neq; enim ſimiliter eodemque modo hoſtium conſilia factaq; imperatoria ab illis ſuſcipiuntur: itaque ne hæc quidem quæ ad vſum ſemper neceſſaria ſunt indicare quis poteſt: ſed cùm neque vna mente omnes imperatores ſunt, ſed magnæ varietates rerum ab hoſtibus ſuſceptarum ſunt, diuerſæ etiam rerum aggreſſiones ad eos moliendæ ſunt. Aſtuta enim & ſolers humana natura cùm ſit, multa excogitare, multa moliri nec opinata poteſt. Vnde par eſt te Imperator ſupplici mente ſemper Deo

preces adhibere, & in omnibus autori salutis, pro ijs quæ maximè salutaria sunt, supplicare.

LEONIS IMP. LIBRI DE APPARATV BELLICO FINIS.

# INDEX OPERIS,

cuius numeri, prior caput, reliqui paragraphos significant.

*Castro-*

*Com-*

*Mi-*

O

P

*Pun-*

Tul.

FINIS.



# MODESTI LIBELLVS DE VOCABVLIS REI MILITARIS, AD TACITVM *Augustum.*

RES militaris (Vegetius lib.2. cap.1.) in treis diuiditur parteis: *Equites, Pedites, Classes.* Equitum *alas* dicunt, eò quod ad similitudinem alarum ab vtrâq; parte protegant acies; quæ Vexillationes vocantur à velo: quia velis, hoc est, flammeolis vtantur. Est & aliud genus equitum, qui *legionarij* vocantur: proptèreà quod connexi sunt legioni. Verùm ipsi pedites in duas diuisi sunt parteis, hoc est, in *legiones* & in *Auxilia*. *Auxilia* à socijs, vel fæderatis gentibus mittebantur. *Legio* autem ab Eligendo appellata est, quod vocabulum, eorum desiderat fidem, atq; diligentiam, qui milites probant. Producendi (Veget.lib.1.cap.26.) verò tirones sunt semper ad campum, & secundum matriculæ ordinem in aciem

dirigendi, ita vt primò simplex & extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curuaturas, sed æquali legitimoq; spacio miles distet à milite. Tunc præcipiendũ, vt subitò duplicent aciem, ita vt in ipso impetu is, ad quem respondere solent, ordo seruetur. Tertiò præcipiendum, vt quadratam aciem repentè constituant, quo facto in *trigonum*, quem *cuneum* vocant, acies ipsa vertenda est: quæ ordinatio plurimum prodesse consueuit in bello. Auxiliares, (Veget. lib.2.cap.2) cum ducuntur ad prælium, ex diuersis numeris venientes, nec disciplina inter se, nec affectione consentiunt: & alia instituta, & alius inter eos est vsus armorum. Necesse est autem, tardius ad victoriam peruenire, qui discrepant antè, quàm dimicent. Legionibus semper auxilia, tanquã leuis armatura, in acie iungebantur, vt in ijs præliandi magis adminiculum esset, quàm principale subsidium. In omnibus autoribus (Veget. lib.2.cap.4.) inuenitur, singulos consules aduersum hostes copiosissimos non amplius, quàm binas duxisse legiones, additis auxilijs sociorũ tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vbi cuiuis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. Sciendum (Veget. lib.2.cap.6.) est enim, in vna Legione de-

ne decem cohortes esse debere: sed prima cohors reliquas & numero militum & dignitate præcedit. nam genere atq; institutione litterarũ viros electissimos quærit. Hæc enim suscipit *aquilam, quæ præcipuum signum in Romano est semper exercitu, & totius legionis insigne. Imagines Imperatorum:* has enim imagines tãquam diuina & pręsentia signa singuli venerantur. Habet pedites mille CV. Equites loricatos CXXXII. & appellatur *cohors milliaria:* hæc caput est legionis. Ab hac cum pugnandum est, prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet pedites DLX. equites LXVI. & appellatur cohors Quingentaria. Tertia cohors similiter habet pedites DLX: equites LXVI. sed in hac cohorte tertiâ validiores & probati milites, qui in mediâ acie consistant. Cohors quarta habet pedites 555. equites 66. Cohors quinta habet pedites 555. équites 66. sed quinta cohors strenuos desiderat milites: quia sicut prima in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu. Hæ quinq; cohortes in primâ acie ordinantur. Sexta cohors habet pedites 555. Equites 66. In prima quoq; enucleatim ascribendi sunt Iuniores: quia in secũdâ acie post Aquilam & Imagines, cohors sexta consistit. Cohors se-

ptima habet pedites 555. Equites 66. Cohors octaua habet Pedites 555. Equites 66. sed & ipsa animosos desiderat viros: quia in secunda acie consistit, in medio. Cohors nona habet Pedites 555. equites 66. Cohors decima habet pedites 555. equites 66. & ipsa bonos consueuit accipere bellatores: quia sicut in secũda acie sexta dextrum, ita decima sinistrum possidet cornu. Iis decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites VI. mill. CV. equites DCCXXVI. Minor itaq; numerus armatorum in vnaquaq; legione esse debet. Maior autem consueuit esse: & non tantum vnam cohortem, sed etiam alias milliarias fuerit iussa suscipere. *Tribunus maior*, (Veget. lib. 2. cap. 7.) per epistolam sacram, Imperatoris iudicio destinatur. *Minor Tribunus* prouenit ex labore. *Tribunus* autem vocatur ex tribu, quia præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. *Ordinarij* dicuntur, qui in prælio primos ordines ducunt. Aquiliferi, qui aquilam portant. *Imaginarij*, qui Imperatoris imagines ferunt. *Optiones*, ab optando appellati: quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati, cum eorum vicario solent vniuersa curare. *Signiferi*, qui signa portant, quos nunc *Dracona-*

*tonarios* vocant. *Tesserarij*, qui tesseram per contubernia militum nunciant. *Tessera* autem dicitur, præceptū Ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum moue tur exercitus. *Torquarij duplares, torquarij simplares:* quibus torques aureus solius virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duplam con sequebatur annonam. Item primus (Veget. lib. 2. cap. 8.) *Hastatus* duas centurias, id est, C C. homines ducebat in acie secun da, quem nunc *Ducentarium* vocant. Prin ceps autem primę cohortis centuriam se mis, hoc est, C L gubernat. Sic decem centuriæ cohortis primæ à quinq; ordinarijs regebantur, quibus magnæ vtilitatis magnus honor à veteribus est constitutus: vt cęteri milites, ex totâ legione, omni labore ac deuotione contenderent ad tanta præmia peruenire. Erant etiam *centuriones*, qui singulas centurias curabāt, qui nunc *centenarij* nominantur. Erant Decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernij vocantur. Secunda cohors habet centuriones quinque. Similiter tertia & quarta, vsq; ad decimam cohortem. In tota autem legione erant centuriones L X V. Sed *legati* (Veget. lib. 2. cap. 9.) *Imperatoris* ex consularibus ad exercitus mittebantur, quibus legiones &

auxilia vniuersa obtemperabant, in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum. in quorum locum illustres viros constat, magistros militum substitutos: à quibus non tantum binæ legiones: sed etiam plures numeri gubernantur. Proprius autem iudex erat Præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat: tribuni vel centuriones ceteriq; milites eius præcepta seruabant vigiliarum, siue profectionis. Tesseras ab eodem petebant. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate Præfecti legionis, à tribuno deputabatur ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes & annona ad curam ipsius pertinebant. Disciplina, seueritas, exercitus; non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto eius quotidie curabatur. Primum signum (Veget. lib. 2. cap. 13.) totius legionis est *aquila*, quam *aquilifer* portat. *Dracones* etiam per singulas cohortes, à *Draconarijs* feruntur ad prælium. Sed antiqui, qui sciebant in acie, commisso bello celeriter ordines aciesq; turbari atq; confundi: ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centurijs singula vexilla constituerunt: ita, vt ex qua cohorte, vel

te, vel quota esset centuria, in illo vexillo litteris esset asscriptum: quod intuentes, vel legentes milites in quemuis tumultum à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper, qui nunc *centurij* vocantur, nimirum bellicosas loricas transuersis cassidum cristis, vt à suis facilius noscerentur, habebant: quiq; singulas gubernare iusserant cateruas, vt nullus existeret error: cum cuncti milites sequerentur non solùm vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galeâ. Rursus ipsæ centuriæ in contubernia diuisæ sunt, vt decem militibus, sub vno *papilione* degentibus, vnus præesset *Decanus*, qui caput contubernij nominatur. *Contubernium* (Veget. libro 2. cap. 14.) autem manipulus vocabatur, ab eo, quòd coniunctis manibus pariter dimicabant. Quemadmodum *inter pedites Centuria* vel manipulus appellatur, ita *inter equites turma* appellatur: & habet vna turma equites triginta duos. Huic qui præest *Decurio* nominatur. Pedites qui decem decadibus centuriæ præerant, ab vno centurione sub vno vexillo gubernantur. Similiter triginta duo equites ab vno decurione sub vno vexillo reguntur. Prætereà centurio eligendus est, magnis viribus, procerâ statuâ, qui hastas vel mis-

filia peritè iaculetur, & fortiter. Similiter eligendus est Decurio, qui turmæ equitum præponatur, inprimis habili corpore, vt loricatus & armis circumdatus omnibus cum summâ admiratione equum possit conscendere, equitare fortissimè, conto scienter vti, sagittas doctissimè mittere; turmales suos, id est, sub curâ suâ equites positos erudire ad omnia, quæ equestris pugna deposcit. Nunc (Veget. lib.2.cap.15.) qualiter instruenda sit acies, si pugna immineat, declaretur vnius legionis exemplo: quod si vsus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum in primâ cohorte incipit ordinari in cornu dextro, huic cohors secunda coniungitur. Tertia cohors in mediâ acie collocatur; huic annectitur quarta. Quinta verò cohors sinistrum suscipit cornu, sed antè signa & circa signa, necnon etiam in primâ acie dimicantes, Principes vocabantur, hoc est, ordinarij cæteriq; principales. Hæc erat grauis armatura, quę habebat cassides, cataphractas, ocreas in cruribus, scuta; gladios maiores, quos *spathas* vocant; & alios minores, quos *semispathas* nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu iaciunt. Item bina missilia, vnum maius ferro triãgulo vnciarum

nouem,

nouem, haſtile pedũ quinq; ſemis, quod pilum vocabant, nunc *ſpiculum* dicitur, ad cuius iactum exercebantur præcipuè milites, quod arte & virtute directum, & ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpè tranſuerberat: aliud minus, ferro vnciarum quinque, haſtili trium pedum ſemis, quod tunc *verriculum*, nunc *verutum* dicitur. Prima acies principum, ſecunda haſtatorum armis talibus docetur inſtructa. Sed in ſecunda acie dextro cornu cohors ſexta ponebatur, cui iungebatur ſeptima. Octaua cohors mediam aciem tenebat, nonâ comitante. Decima cohors in ſecundâ acie ſemper ſiniſtrum obtinet cornu. Inſtructionis (Veget. lib. 3. cap. 14.) verò lex eſt, vt in primo ordine excitati & veteres milites collocentur, quos anteà principes vocabant. In ſecundo ordine circumdati cataphractis ſagittarij, & optimi milites cum ſpiculis, vel lanceis ordinentur, quos *probaſ[illegible]tos* vocabant. Inter ordinem à tergo vallatum ſex pedes diſtare voluerunt, vt haberent pugnantes ſpacium accedendi, atq; recedendi: vehementius enim cum ſaltu, curſuq; tela mittuntur. In his duob. ordinibus ætate maturi, & vſu confidentes, & muniti grauioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere nec ſequi alium de-

bent, ne ordines turbent: ſed aduerſarios venientes excipere, & ſtando pugnandoque repellere, vel fugare. Tertius ordo diſponitur de armaturis velociſſimis, de ſagittarijs iuuenibus, de bonis iaculatoribus, quos antè *ferentarios* nominabant. Quartus autem ordo conſtituitur de ſcutatis expeditiſſimis: de ſagittarijs iunioribus, de his qui alacriter ſe agunt verutis vel *martiobarbulis, quas plumbatas nominant*, qui dicebantur leuis armatura. Sciendum eſt ergò, ſtantibus primis ordinibus, tertium & quartum ordinem ad prouocandum cum miſſilibus & ſagittis primo loco ſemper exire: qui ſi hoſtes in fugam vertere potuerunt, ipſi cum equitibus perſequuntur: ſi verò ab hoſtibus pulſi fuerint, redeunt ad primam & ſecundam aciem, & inter ipſas recipiunt ſe ad loca ſua. Prima autem & ſecunda acies, cum ad *ſpathas & pila*, vt dicitur, ventum fuerit, totum ſuſtinent bellum. In quinta acie ponebantur *Baliſtarij, funditores, fuſtibulatores*, qui fuſtibalis lapides iaciunt. *Fuſtibalus* eſt longus pedes quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraq; manu impulſus, propè ad inſtar onagri dirigit ſaxa. Sextus ordo poſt omnes à firmiſſimis & ſcutatis, & omni genere armorum munitis bellatores tenebat,

bat, quos antiqui *Triarios* appellabant. Hi vt requieti, & integri acrius inuaderent hostes, post vltimas acies sedere consueuerant. Sed si quid in primis ordinibus accidisset, de eorum viribus reparationis spes tota pendebat. Omnes autem (Veget. libro 2. cap. 17.) *signarij*, quamuis pedites sint, loricas minores accipiebant & galeas ad terrorem hostium, vrsinis pellibus tectas. Centuriones verò habebant cataphractas, & scuta & galeas ferreas, transuersis & argentatis cristis, vt facilius agnoscerentur à suis. Illud autem (Veget. lib. 2. cap. 17.) sciendum est, & modis omnibus retinendum, quod commisso bello prima ac secunda acies stabat immota. Triarij quoq; residebant. Ferentarij autem, armatura leuis & sagittarij & funditores aduersarios prouocabant, ante aciem procedentes, si hostes fugare poterant, sequebantur: si eorum virtute ac multitudine premebantur, reuertebantur ad suos, & post eos stabant. Excipiebat autem prælium grauis armatura, & tanquam murus (vt ita dicam) ferreus stabat, & non solum missilibus, sed etiam gladijs cominus dimicabant. Et si hostes fugassent, non sequebatur grauis armatura, ne aciem suam, ordinationemq; turbaret & dispersos recurrentes hostes,

incompositos opprimeret, sed leuis armatura cum funditoribus sagittarijs & equitibus fugientes, sequebatur inimicos. Hac dispositione ac cautela sine periculo legio vincebat, aut superata seruabatur incolumis: quia legionis vis est, facile nec fugere nec sequi. Sed ne (Veget. libro 2. cap. 18.) milites aliquando in tumultu prælij à suis contubernalibus aberrarent, diuersis cohortibus diuersa in scutis signa pingebant. Prætereà in aduerso vniuscuiusque militis erat nomen litteris adscriptum, addito ex qua cohorte, quáue centuriâ. Ex his autem apparet legionem benè institutam quasi inuictissimam esse ciuitatem, quæ omnia prælio necessaria secum vbique portaret: nec metueret repentinum hostium superuentum, quæ etiam in medijs campis subitò fossa valloque muniretur. Habet prætereà (Veget. lib. 2. cap. 22.) legio tubicines, cornicines, buccinatores. *Tubicines* ad prælium vocant milites, & rursus receptui canunt. *Cornicines* quoties canunt, non milites sed signa ad eorum obtemperant nutum. Ergò quotiens ad aliquod opus exituri sunt soli milites, tubicines canunt: quoties mouenda sunt signa, cornicines canunt. *Classiarij* autem appellantur *buccinatores*, qui cornu ducunt exercitum: hoc insigne

insigne videtur Imperij, quia classicũ canit Imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animaduertitur. Hoc enim ex Imperialibus legibus fieri necesse est. Siue ergò ad vigilias vel angarias (alij, Agrarias) faciendas, siue ad opus aliquod, vel ad cursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur; rursus tubicine admonente cessant. Cum autem mouentur signa, aut iam mota figenda sunt, cornicines canunt. Quod ideò in omnibus exercitijs & processionibus custoditur, vt in ipsâ pugnâ facilius obtemperent milites; siue eos pugnare; siue stare; siue sequi; vel redire præcipiunt duces. Siquidem ratio manifesta est, semper in acie debere fieri, quod necessariò faciendũ videtur in prælio. De singulis (Veget. lib. 3. cap. 8.) centurijs quaterni equites & quaterni pedites excubitum noctè faciunt. Et quia impossibile videbatur, in speculis vigilantes singulos permanere; ideò in quatuor parteis ad desidem (alij: ad clepsydram) sunt diuisæ vigiliæ, vt nõ amplius, quàm tribus horis nocturnis necessarium sit vigilare. A' tubicine omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis à cornicine reuocãtur. Constructâ acie (Veget. lib. 3. cap. 16.) peditum, equites po-

nuntur in cornibus, ita vt loricati omnes & contecti iuncti sint peditibus: Sagittarij autem, vel qui loricas non habent, longiùs euagentur: à fortioribus namq; equitibus peditum protegenda sunt latera, & à velocioribus atq; expeditis hostiũ cornua semper findẽda atq; turbãda. Scire debet Dux contra cuneos; hoc est, globos hostium, quot equites oporteat poni. Nam nescio quâ occultâ ratione, imò penè diuinâ, alij contra alios dimicant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur. Quod si equites impares fuerint, more veterum, velocissimi cum scutis leuibus pedites, ad hoc ipsum exercitati, iisdem miscendi sunt, quos *expeditos velites* nominabant. Quo facto, quamuis fortissimi equites hostium euenerint, tamen aduersus mixtũ agmen pares esse non possunt. Vnum hoc remediũ omnes duces veteres inuenerũt, vt assuefacerent iuuenes currentes egregiè, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum leuioribus scutis, gladijs atq; missilibus. *Elephanti* in (Veget. lib. 3. cap. 24.) prælijs magnitudine corporũ, barritus horrore, formæ ipsius nouitate, homines equosq; conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania

cania rex Pyrrhus eduxit. posteà Hannibal in Aphrica, rex Antiochus in Oriente, Iugurtha in Numidia, copiosos habuerunt. aduersus quos diuersa excogitarunt genera armorum. Nam Centurio in Lucania gladio *manum*, quam *promuscidem* vocant, vni abscidit : & bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes *Clibanarij*, *Sarrissas*, hoc est, longissimos contos, in elephantos dirigebant. Alij contra elephantos, cataphractos milites immiserunt, ita vt in brachiis eorum, vel in cassidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne elephas bellatorem contra se venientem posset apprehendere. Præcipuè tamē antiqui velites aduersus elephantes ordinauerūt. *Velites* aūt erant iuuenes leui armaturâ, corpore alacri, qui ex equis optimè missilia dirigebāt: hi equis præcurrentibus, ad latiores lanceas, vel maiora spicula beluas occidebant. Sed crescēte audaciâ, posteà collecti plures milites, pariter *pila*, id est, *missilia* in elephantos congerebāt, eosq; vulneribus elidebant. Illud additū est, vt funditores cū fustibalis & fundis, rotundis lapidibus destinatis, illos, per quos regebantur elephanti, cum ipsis turrib. affligerēt atq; mactarent. quo nihil tutius

inuenitur. Posteà veniētibus beluis, quasi irrupissent aciem, spaciū milites dabant: quæ cum in agmē medium peruenissent, circumfusis vndiq; armatorū globis à magistris absq; vulneribus capiebantur illæsæ. Sed optima (Veget. lib. 3. cap. 17.) ratio est, & ad victoriam plurimùm cōfert, vt lectissimos de peditibus equitibusque cum vicarijs, comitibus, tribunisq; vacantibus habeat dux post aciem, in subsidijs præparatos, alios circa cornua, alios circa medium: vt sicubi hostis vehemēter insistit, ne rumpatur acies, prouolent subitò & suppleant loca, additaq; virtute, inimicorum audaciam frangant. Huius cautelam primi Lacones inuenerunt, imitati Carthaginenses. Alteram post hæc vbiq; seruarunt: hac dispositione nulla melior inuenitur. Nam directa acies hoc solum agere debet; petere, vt hostem repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere debebit, de quibus cuneum forficemq; faciens, ducenda sit. Gnauiter ex abundantibus ducitur. Nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Quod si bellatorum copia tibi non abundat, melius est habere aciem breuiorē, dummodò in subsidijs colloces plurimos. Cum ex-

explorator (Veget.lib.3.cap.vltimo) hostium latẽter oberrat in castris, omnes ad tentorium suũ per diem redire iubeãtur: statim deprehenditur Explorator. Cum cõsilium tuũ cognoueris aduersarijs proditum, dispositionẽ mutare te conuenit. Fieri quid debeat tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum paucissimis ac fidelissimis, vel potius ipse tecũ. Hæc Martij operis præcepta, per diuersos auctorũ libros dispersa, Imperator inuicte, mediocritatem meam abbreuiare iussisti, ne vel fastidium nasceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deesset in paruis. Neq; enim degenerauit in hominibus Martius calor, nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmones, quæ Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuêre Romanos. Nónne Epiri armis plurimũ aliquãdo valuerũt? Nónne Macedones ac Thessali superatis Persis, vsque ad Indiam bellando penetrarunt? Dacos autem & Mysos, & Thraces inter bellicosos semper fuisse manifestum est, vt ipsum Martem fabulæ apud eos natũ esse confirment. Longum est si vniuersarum prouinciarũ vires enumerare contendam, cùm omnes in Romani Imperij ditione consistant. Sed longa securi-

tas pacis,homines partim ad delectationem otij,partim ad ciuilia traduxit officia : ita cura exercitij militaris primò negligentius agi, posteà dissimulari, ad postremum olim in obliuionem perducta, cognoscitur.

FINIS.


IHS



